

1665

1. Boeckelmannus, Joh. Fredericus: De jure conducendi
2. Boeckelmannus, Joh. Fredericus: De jure sepulture
3. Boeckelmannus, Joh. Fredericus: De jure sepulture

1666.

1. Boeckelmannus, Joh. Fredericus: De defensionis corporis necessitate.
2. Boeckelmannus, Joh. Fredericus: De defensione injuriarum
3. Boeckelmannus, Joh. Fredericus: De jure embryonum.

1668.

1. Boeckelmannus, Joh. Fredericus: De jure contumacie
2. Danckelmann, Silvester Tacitus: De legalibus sexus differentiis.
3. Puffendorf, Samuel: De interregnis

1669.

1. Boeckelmannus, Joh. Fredericus: Disputatio juridica in universitatibus principibus juri communis et Electoralibus Palatinis circa materiam successiois ab intestato differentias.

2. Danckelman, Silvestrus Jacobus: De actionibus

3. Danckelman, Silvestrus Jacobus: De privilegio
episcopali

1670.

Glockner, Georgius Gislebertus: De litteris commendaticis

1671.

1. Coccejus, Marinus: De proportionibus. 2 Exempl.

2. Danckelman, Silvest. Jacobus: De jure ripariano.



[Faint, illegible handwriting in blue ink, possibly bleed-through from the reverse side of the page.]



24 14
 1671/1

DISPUTATIO JURIDICA,
 DE
PROPORTIONIBUS,

Quam

Divina Favente Gratia,

Ex singulari Decreto & Concessione

MAGNIFICI & AMPLISSIMI IN ANTIQVISSIMA ACADEMIA HEIDELBERGENSI FCTORUM ORDINIS,

PRÆSIDE

DN. HENRICO COCCEJO,

U. J. D.

Publice

bene VoLa erVDI torVM CensVra

subjiciet

ADOLPHUS HENRICUS LINDE,

Westphal.

Ad Diem 29. Septembr. H. L. Q. S.

HEIDELBERGÆ,

Typis Wilhelmi Walteri, Acad. Typogr.

Anno 1671.

22.

LIBRARY OF THE
UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

5720 S. UNIVERSITY AVENUE

CHICAGO, ILL. 60637

TEL. 733-7300

UNIVERSITY OF CHICAGO

PHYSICS DEPARTMENT

5720 S. UNIVERSITY AVENUE

CHICAGO, ILL. 60637

TEL. 733-7300





I. N. D. N. J. C.

SECTIO I.

Ubi sententia vulgaris de Proportionibus proponitur & refutatur.



Etustissima est controversia jam inter Platonem & Xenophontem acriter olim agitata, quorum ille Remp. suam Geometricis rationibus, quibus Deum ipsum gubernare mundum ajebat, temperare, hic ad Arithmeticae normam omnia exigere voluit. Aristoteles a recto controversiae filo non minus, quam ab ipsa reliquorum sententia discedens Justitiae duas separavit partes, seu objecta potius 1. Commutationes seu Contractus, quos συναλλάγματα dixit, unde justitiam fecit συναλλακτικήν, commutativam, seu διορθωτικήν correctoriam. 2. Distributiones praemiorum & onerum, unde distributivam confecit Justitiam, in illa Xenophontis, in hac Platonis sententiam amplexus. Cum enim ex eo capite omnis Justitiae ratio ducatur, ut suum cuique tribuatur, finisque ejus sit, ut secundum leges singuli sua possideant 1. *Rhec. cap. 9. & 5. Eth. cap. 5.* illud *Suum*, quod cuique debetur, medium aliquod proportionale & æquale faciunt, quod juxta proportionum regulas inter omnes con-

A 2

ser.

servandum, aut si inde discedatur, per easdem inæqualitas corrigenda *d. l. 5. c. 5. d. l. m. c. 33. l. 4. Eud. cap. 3.* Illa autem quæ æqualiter singulis tribuenda supponunt vel concernunt cives, quæ sunt membra in eadem communi Republica, uti honores ac præmia: item onera ac munia: vel privatam ipsorum conditionem, uti sunt contractus & delicta, iisque debitæ pænæ: in illis requirunt æqualitatem respectivam pro ratione conditionis aut alterius circumstantiæ convenienter proportionatam, *d. l. 4. c. 2.* eamque Geom. Prop. dicunt, & solet distributio pro rata facta dici. In his simplicem & absolutam æqualitatem, eamque prop. Arith. vocant, *d. l. 5. Eth. c. 2. d. l. 4. Eud. c. 2.* quam tamen ita explicant, ut computentur simul lucrum seu plus boni unius, & damnum, seu plus mali alterius, & subducto excessu lucrum, seu plus boni unius, & damnum, seu plus mali alterius, & subducto excessu lucrum & damnum ad æqualitatem redigantur: v. g. Titius habet deposita apud se 10. quæ deposuit Sejus; Primo ratio ineunda lucri seu minoris mali, quod habet Titius, qui 10. deposita habet, tum damni seu minoris boni, quod habet Sejus, cui 10. illa absunt, & deinde per instrumenta prop. Arith. sc. *μεγιστοεισεν* seu subductionem & additionem correctio fiat: ut si duæ sint lineæ inæquales, alter teneat lineam ut 6. alter ut 4. cum singulis æqualis pars competat, sc. 5. detrahenda est unitas, quæ excedit, ex 6. & adjicienda quaternario, cui deest, seu addenda 6. & 4. & singulis semis æqualiter dandus. *Vid. Dom. Sot. item Less. de Just. & jure aliig.* Hæc pervulgata est Aristotelis & sequatium ac communis Dd. sententia, à qua solidis rationibus & argumentis adducti libenter divortimus; & præsentī hac disputatione id agemus, tum ut falsam omnino hanc esse sententiam, & erroneam, ostendamus; tum ut quid sint Proportiones, & quæ ad Justitiam & Remp. applicandæ, luculenter pateat. Quod antequam ordiamur, duplici imprimis nomine veniam præfari liceat; tum quod à tot viris doctissimis, cum quibus forte
 titius

* (o) *

tutius videri posset errare, quam inde dissentire, secessionem faciamus, tum etiam istam ob rationem, quod eo necessitatis nos redactos sentimus, ut, cum materiae hujus principia ex Mathematicorum decretis deriverentur insolito hoc strepitu juridice forte aures molestius aliquantisper afficiendæ sint.

Ut ergo ordine, sed magis ingenuo & liberali agamus, summa adversæ sententiæ capita refutanda proponemus.

1. Proportio Arithmetica iis est, qua servatur æqualitas rei ad rem, v. g. precii ad merces, rei reddendæ ad rem sublatam vel peremptam. *Lessius de Just. & Jur. c. 1. dub. 4. & c. 2. dub. 1.* diciturque æquale numero seu quantitate *Arist. 5. Pol. 1. & 5. Eth. 7.* Geom. est, qua servatur æqualitas proportionis ad Proportionem, & ita non simpliciter æqualia redduntur, sed respectu habito ad conditionem, v. g. personæ, secundum quam fit distributio, & dicitur æqualitas respectiva, *Less. d. l. Aristot. 5. Ethic. c. 3. 4.* estque potius similitudo & convenientia, quam æqualitas *Bod. de Rep. c. ult. 2.* Priorem in contractibus seu commutativa justitia, alteram in distributiva, observari volunt; indeque ex istis duabus Justitiæ speciebus medium Proportionale faciunt, ad quod, sicubi inde discessum, per proprias proportionem in quavis specie reductio faciendæ sit. *Arist. 5. Eth. 5. & c.* Hæc sunt præcipua, hujus sententiæ capita, totidem cap. ordine nobis refutanda.

CAPIT I.

UT magis de veritate constet, nihil suppositum volo, sed quid sint Proportiones ex primis ubique cognitis & concessis principiis simplicissimis arcessam. Numeri ad numerum, majorem vel minorem, seu rei ad rem comparatio dupliciter imprimis se habet; vel secundum rationem totius v. g. numeri, qui cum alio comparatur, & quæritur, quot integri tales numeri, v. gr. quot ternarii toti in altero v. gr. novenario contineantur; vel secundum rationem partium numeri, sc. unitatum; & quæritur, quot unitatibus alter

A 3

rum

26.

(o)

rum excedat, aut ab eo distet: in illo est ratio Geom. in hoc Arith. v. g. in hoc numero 3. 9. si spectetur minor numerus se toto, & ut integrum aliquod, & quaratur, quot talium integrorum contineantur in majore numero, spectatur in iis ratio Geometrica, quæ tota multiplicat. Si autem in eodem numero, 3. 9. spectetur minor numerus non se toto, sed singulæ ejus partes & unitates conferantur cum singulis unitatibus majoris numeri sc. 9. ut sciatur, quot unitatibus ille distet à minore, ac proinde quantum vel hic deficiat vel ille excedat, spectatur in iis ratio Arithmetica, quæ distantiam numerorum secundum unitatem respiciuntur. Si numerus numero simpliciter comparetur, *ratio* dicitur; si illa ratio cum alia ratione, *proportio* etsi Euclides & alii priorem comparationem, *proportionem*, alteram *proportionalitatem*, seu *proportionem proportionum*, vocitent. Ex his autem patet, 1. Simpliciter comparatione numeri cum numero, vel rei cum re non posse dignosci, sit ne ratio Arithmetica an Geom. cum utraque esse possit, sed dependere id à fine & intentione comparantis, & qualitate quæstionis; ita si 3. conferas cum 9. ratio tam Arithmet. quam Geom. eis continetur; sed si porro singulas ternarii unitates spectes, & cum singulis unitatibus novenarii conferas, & quæras quot unitates amplius sint in 9. quam ternario, aut contra, quot minus in hoc, quam illo, jam ratio Arithmetica seu singulorum numerorum consideratur, in qua proinde patet spectari excessum & defectum numerorum, seu quid plus minusve sit in uno quam in alio; si autem in dicto numero integra spectes, & quæras quoties integra illa infint majori numero, (seu quoties metiantur majorem) v. gr. 3. in 9. jam ratio Geometrica initur. Si jam cum utraque hac ratione conferantur ulterius aliæ rationes, quæ inita sit ratio, certissime constabit; confer ergo cum 3. 9. 12. 18. patebit inita rationem Arithmeticam, & spectatam esse distantiam excessus in priore, cui æqualis est distantia posterioris; cum utriusque distantia sit senarii. Confer autem cum iisdem



iisdem 3, 9, 12, 36. patebit initam esse rationem Geometricam,
 & spectata esse numerorum integra; quia in collato numero,
 non est æqualis sed longe major distantia, verum est æqualis
 integrorum numerus, scil. in majore prioris sunt tria integra,
 sc. tres ternarii; in posterioris majore totidem integra, scil.
 tres duodenarii; conveniunt ergo hi numeri integrorum ra-
 tionibus: estque ejus rei infallibile signum, quod demonstrat
Eucl. libr. 7. Prop. 19. Si extrema inter se multiplicata mediis
 itidem inter se multiplicatis sint æqualia, esse proportionem
 Geometr. si autem extrema sibi addita mediis sibi additis sint
 æqualia, esse Arithmet. & prior ratio fundamentum est im-
 motum regulæ, quæ vulgo *regula proportionum aurea* dicitur;
 Ita in his: 3, 9, 6, 18. multiplicata extrema scil. 3, 18. multiplica-
 item media, nimirum 9, & 6. utraq; producta erunt æqualia: In
 his autem 3, 9, 6, 12. adde 3, ad 12. 9. ad 6. idem proveniet numerus.
 Ex his constare potest 2. quis utriusque proportionis sit usus,
 quod opus: in Geometrica sc. ratione quæritur, quoties & nu-
 merus integer, & ratio tota numeri contineatur in alio, ad id ut
 toties alter numerus integer ac ratio ejus integra contineatur
 ac multiplicetur in alio numero, atque ita rationes utriusque
 conferantur & proportionentur; illa ergo proportione fit
 comparatio rationem, ut quot rationes uni conveniunt,
 totidem conveniant & alteri; ut si ternario conveniant 6.
 quæ est duplex ratio, quaternario conveniant 8. quia itidem
 illa est duplex ratio: Igitur hac proportione datur cuique
 quod ipsi convenit; unde patet, eam ad corrigendum non
 pertinere; nihil enim in ea, quod excedit & deficit, adeoque
 corrigendum spectatur, sed quod convenit, & magis pro-
 pria ergo illa legibus est, quæ suum cuique tribuunt.
 Contra in Arithmet. ratione quæritur, ut dictum, quan-
 tum numerus à numero distet, adeoque ab eo vel exce-
 dat vel deficiat, ad id ut excessus subducatur, & proinde
 cum hic spectetur numerus in quo est v. g. excessus, alius in
 quo est defectus, constat hanc proportionem corrigendis ex-
 tremis.

remis inventam esse, non autem quid conveniat distribue-
re. Pone 4, 6, 12, 14. in his 4. & 14. sunt extrema, alterum scil.
in quo est defectus, alterum in quo excessus, media ergo, à
quibus illa discedunt, sunt quæ singulis jure competunt, scil.
6, 12. Si ergo is qui 6. habere debet, accepit tantum 4. in eo
est defectus binarii, qui proinde excedit in altero, ut is habeat
14. cui tantum competunt 12. huic ergo detrahenda duo, & ad-
denda alteri.

Inde patet, utriusque rationis contrarias esse func-
tiones: & in illa quæri, qua ratione conveniat numeros nume-
ro; in hac, qua ratione ab invicem distent; Denique 3. hinc
liquet, in proportionibus numerum referri ad numerum vel
majorem vel minorem, non autem ad æqualem; unde omni-
no separanda æqualitas à proportionem; neque enim inter æ-
quales numeros ratio Arith. est neque Geom. non illa, quia
in ratione Arith. spectatur distantia unius ab alio, ut dictum,
& quantum alter alterum excedat; in æqualibus autem non
est excessus neque distantia; si enim distaret unus ab altero,
v. g. unitate, binario &c. essent inæquales; non etiam Geom.
quia in illa spectatur quoties unus in altero contineatur,
quod tantum est inæqualium; minor enim in majore tantum
potest contineri, non æqualis in æquali quod enim continet,
majus esse debet eo quod continetur.

His positis ad primum dico: Falsum esse, proportionem
Arithmetica attendi & observari æqualitatem rei ad rem; ita
ut per eam contrahentes simpliciter æqualia accipiant; quod
errori causam dedisse videtur. I. Æqualitas enim, quæ in pro-
portionem Arithmetica requiritur, non est mediorum, nec enim
requiritur ut media sint æqualia, sed distantia extremorum à
mediis; illæque distantia saltem æquales ut sint necesse est:
Media autem, quæ sunt illa, quæ contrahentes habere debent,
ut dictum, iisque competunt, si sunt inæqualia, per hanc pro-
portionem non reducuntur ad æqualitatem, sed manent in-
æqualia; Finge: Numeri Arithmetice proportionales sunt 4,
6, 600.

* (o) *

6, 600, 602. Titio debentur 6, Sejo 600. hæc sunt duo media, quæ sunt id, quod cuique competit, & satis inæqualia: Sed Titius in distribuendo accipit tantum 4. Sejus autem 602. hæc ergo sunt duo extrema, quæ æqualiter distant à suis mediis; in quo consistit prop. Arithm. tantum enim distant 4. à 6. quantum 600, à 602. scil. binario; excedens ergo binarius detrahendus est Sejo, ut ille retineat tantum 600. quæ ipsi competunt, & addendus quaternario Titii, ut & ipse Senarium habeat, reductis ergo hoc modo excessu & defectu quisq; suum habet, non tamen habent æqualia, sed vel maxime inæqualia, & tamen reductio facta est proportione Arithmetica; ita enim se habent numeri, 4, 6, 600, 602. Hic 1. distantia utrimque æqualis est: 2. media addita æqualia sunt extremis additis, Arithmetica ergo est proportio, *per sup. dicta* 3. Nimis ignorantiam proderet, si quis Geom. proportionem subesse putaret; cum in ea extrema multiplicata æqualia sint mediis multiplicatis, quod hic procul abest; II. Naturæ & usus Prop. Arithm. non in eo consistit, ut duo vel plures aliquid accipiant æqualiter vel inæqualiter, quod Geom. Prop. actus & opus est; sed ut, quod acceptum est, si in eo sit excessus & defectus, corrigatur. Nam, ut modo vidimus, ratio Arithmet. ex eo dignoscitur, quando quæritur, quantum numerus numerum excedat, v. g. in numeris 3, 6. si quæritur, quoties ternarius in senario contineatur, scil. bis, non est ratio Arith. sed Geom. quæ eo fit sine, ut in alio numero eadem fiat ratio, v. g. in 4, 8. & sic duæ hæ rationes, tanquam proportionatæ habeantur, & sic cuique, v. gr. & ternario & quaternario suum duplum congruere, adeoque recte distributum, esse appareat. Verum si in eodem numero 3. 6. quæritur, quantum senarius excedat ternarium, sc. tribus unitatibus, jam est ratio Arithmetica, quæ excessum attendit, eo sine ut illum subducat ac ita corrigat; & si in alio numero v. gr. 4. 7. idem sit excessus unius numeri & consequenter defectus alterius, ista æqualitas excessus & defectus inducunt proportionem Arithm.

B

qua

130
y
* (o) *

qua proinde id, quod excedit, detrahitur, & quod deficit, suppletur v. g. si in priore 3. 6. Senarius est qui uni competit, in ternario erit defectus; & tria erunt amplius apud alterum; si ergo huic 4. competunt habebit cum excessu 7. tale ergo erit exemplum 3, 6, 4, 7. qui numeri sunt Arithmetica Proportionales, additione enim non multiplicatione ultimi erunt æquales mediis; media, quæ quisque habere debet, sunt 6, 4. extrema 3. 7. quæ distant æqualiter à suis mediis: scilicet ternario; ille ergo ternarius detrahendus à 7. in quibus excedit, ut ejus possessor retineat tantum sua 4. & addendus ternario, in quo deficit, ut ejus possessor recipiat sua 6. Videtur aliquo modo ad hanc proportionem referri posse ratio quæstionis difficilis, (Explicatio l. 3. Decur. & aliarum.) An pœna temporali cum infamia constituta, hæc cesset cum pœna: Quam, cum parum feliciter videatur vulgo expediri, breviter discuttemus. Constitutionibus duorum Antoninorum, Pii & Caracallæ; uti & Hadr. ac Gord. ad tempus relegati, aut ordine moti transacto tempore in ordinem redire possunt; quæ habentur. l. 1. 2. c. His qui in ex. l. 8. postul. l. 3. §. 9. Decur. l. 15. pr. ad Mun. ita ut pristinum ordinem recipiant arg. d. l. 15. verb. in ordinem regressus, non ad novos honores accedere possint. arg. d. l. 15. verb. ad honorem scilicet novum; nisi post tantundem temporis, quo abfuerunt, d. l. 2. d. l. 15. & cum his ergo pœnis, quæ adjunctam habent infamiam aliquam, l. pen. §. 2. Extr. cogn. finitur etiam ipsa infamia ex quacunque causa irrogetur. d. l. 5. §. 1. neque differunt hæc duæ pœnæ d. l. 8. d. l. 15. verb. exemplo relegati. Unica est exceptio, in l. 3. pr. Decur. quando levior est relegationis pœna delicto, quo casu non redit ad ordinem tempore finito d. pr. licet ordine motus indistincte redeat, etsi pœna levior sit, & gravior delictum, v. g. crimen falsi, aut aliud de gravioribus, d. l. 3. §. 1. Ratio differentia est, quia ordo ipsa sententia admittitur, qui dum expresse ad tempus tantum admittitur, elapso tempore non amplius ademptus videretur, adeoque recipitur ordo, ne senten-

31.
 sententia ulterius extendatur, cui alias non staretur, *l. 13. §. 1. Fals. arg. d. l. 8. d. l. 3. §. 1.* sed in relegatione per sententiam non ordo adimitur, sed exilium iungitur ad tempus, quo iuncto jus ipsum ordinem auferit: Si ergo hæc pœna temporalis iuncta est ex crimine, quod graviolem merebatur, adeoque saltem perpetuam, illa pœnæ pars, quæ à lege est, nec ab illa lege determinata, scil. motio ab ordine perpetuo durat, quia à lege indigitur ex crimine quod perpetuam jure pœnam meretur: illa autem pœnæ pars, quæ ex ipsa sententia est, & ab ea determinatur, scil. exilium, elapso tempore finitur; tempus enim illud non vacationi ab officio, sed exilio additum est; ut ergo consulatur humanitati sententiæ, quæ alias culpabilis esset, jus effectum suum salva sententia servat, ut finito tempore, sola relegationis pœna, cui adjectum erat tempus, remissa, non etiam ordo restitutus censeatur. *arg. l. 7. C. sent. pasf. l. ult. C. gen. ab. l. 1. §. 9. 10. Postul.* Est tamen & alia differentia inter hos duos, scil. in modo. Relegatus enim de novo eligi debet; & tunc in infimum locum non pristinum eligitur; desinit enim esse Decurio, & de novo eligitur. *l. 2. pr. §. 1. Decur. d. l. 15. pr.* Quod secus est in eo, qui ordine motus est; is enim ipso jure Decurio est, finito tempore, licet uterq; expectare debeat, dum locus vacet. *d. l. 2. pr. §. 1.* Dicitum est, infamiam finiri cum pœna, si ad tempus quis condemnatus est, ex quacunque causa: quod facile patet intelligendum esse de causa, quando pœna cum adjuncta infamia à sententia infligitur, & ab ea dependet; Cæterum aliud esse, quando ipsum crimen importat infamiam ipso jure, uti ipsæ LL. se limitant, & ex iis limitanda. *d. l. 15.* tunc enim infamia, quæ à jure est, iudicis sententia mutari & qualificari quasi non potest, ut ait Papin. *in d. l. 15. pr. l. 1. §. 4. ad Turp.* Cæterum si à proportionem pœnæ ac delicti discedat sententia, leges per proportionem quandam Arithmetica singulari ratione id corrigunt. Si enim excessus sit in pœna & illa major delicto, detrahatur non quidem id quod plus est in pœna, sed perpetuitas infamiæ loco istius excessus;

ipse autem excessus pœnæ adjicitur defectui delicti, ac ita pœna sit proportionata delicto, dum infamia severitate sententiæ compensatur, & quasi de ea transigitur, *l. 13. §. 8. His qui not. l. 10. §. fin. Pœn. l. 4. §. 4. re mil. l. 15. pr. ad Mun. l. 5. Dec. si excessus sit in delicto, & pœna levior, sc. temporalis, ipsa quasi non detractio infamiae, seu quod infamia perpetuatur, non attenda sententiæ determinatione, pro excessu delicti est, quod additur pœnæ, ut illa fiat gravior & delicto proportionata: atq; ita sententiæ lenitas immortalitate infamiae corrigitur, nisi tamen certis ex causis mitior sententiæ dicta sit *l. 3. C. Ex quib. caus. infam. Pater hinc, si quis ex crimine, quod infamiam infest, ad tempus ab ordine motus sit, durare infamiam, quia pœna illa gravior esse non potest, in infamem enim non datur levior; infamis enim dignitatum capax non est: relegati autem aliquando pœnam graviozem esse posse, cum etiam possit ab ordine moveri, quod levius est, adeoque tunc demum infamia ei non perpetuatur, si crimen sit levius pœnæ. l. 5. Decur. sed de eo plus satis. Constat abunde hinc, proportionem Arithm. non esse ordinatam ad tribuenda æqualia, sed corrigendos excessus in eo, quod cuiq; debetur, sive illud sit æquale, sive inæquale: uti contra prop. Geometr. opus non est corrigere, sed quod convenit cuiq; distribuere: unde & illa non minus erroneè adhibetur ad corrigendas inæqualitates in distributionibus; illa enim distribuit quod congruum est, non autem corrigit quod incongrue est distributum, id enim est Arithm. prop. opus.**

CAPUT II.

AD II. Dico I. Falsum est, Justitiam, seu illud, quod ex justitia cuique debetur, esse medium aliquod proportionale, ad quod id, quod justum dicitur redigendum sit per Prop. vel Arithm. vel Geom. ut cum sequacibus vult *Arist. 5. Ethic. c. 5.* & alios locis. i. Medium enim non est nisi inter duo extrema, diversa & distincta ab ipso medio, ita ut distincte aliud concipi non possit, quod sit medium, aliud, extrema, &

in his aliud excessus aliud defectus, quod constat ex natura relatorum. Illa autem in Justitiæ speciebus necessaria non sunt. Insistamus in specie commutativa exemplo depositi. Si quis 10. deposuit, 10. simpliciter repetit quod deposuit. Neque vero eadem 10. possunt induere rationem excessus & defectus & medii simul, sed essi finguntur, quatenus uni absunt esse defectum, quatenus alteri adsunt esse excessum, nihil remanebit, quod habeat rationem medii inter illa duo; adeoque nec erit ratio extremorum: nam cum totum uni absit, & totum alteri adsit nihil inter ea duo est intermedii. Sed & in omni excessu duæ intelliguntur esse partes, illa quæ excedit & illa quæ exceditur, uti & in defectu illa quæ & à qua deficit; quod in adducto exemplo concipi non potest, cum una tantum sit portio, quæ tota est apud Depositarium, & nulla apud Deponentem, nec ergo de illius portione potest dici, quod in ea aliquid excedat, cum nihil exinde ipsi competat, & totum sit alienum; neque de hujus portione, quod in illa aliquid deficiat, cum nullam habeat. 2. Medium hic non simplex est sed duplex, & scilicet est id quod duorum singulis comperit, & quo alter plus, alter minus habet, v. g. 2, 3, 6, 7. (aut si tres tantum ponantur ita, 2, 3, 4. medius bis sumitur, ita 2, 3, 3. quod fit, quando singulis æqualia, v. g. 3. competunt) unus habeat 2. alter 4. adeoque ille partem cum defectu, hic partem habet cum excessu; medium, seu quod cuiusque est, apud neutrum est; sed utrique, hoc exemplo æqualiter, priori inæqualiter tribuendam. In depositi autem exemplo apud Depositarium est totum depositum, apud Deponentem nihil ex eo, & non utrique pro parte, ut in exemplis, sed totum uni reddendum. Sed ut ocularius hæc videantur, idem exemplum de duabus lineis, quo Dd. uti solent, adducemus, eodem, quo ipsi se tuentur & explicant, exemplo eos refutaturi.

Ponantur duo homines, quorum singuli habent lineam, sed inæqualem, cum singulis debeat inæqualis, Cajus lineam 6. Sejo lineam 4. quæ duæ lineæ ad æqualitatem, id est, ut volunt, ad lineam

neam aliquam mediam Arithmetice proportionalem reducen-
 da, ut singuli æqualem habeant; hoc fieri facile hic potest,
 quia duæ hic sunt lineæ inæquales, singulæ apud singulos in
 quarum altera est excessus, in altera defectus; detrahe ergo
 priori excessum, qui est 1. & adde alteri, jam erunt æquales:
 seu deme totum istum excessum sc. 2. eumque æqualiter divi-
 sum, sc. unitatem, singulis adde, oritur linea media propor-
 tionalis, scil. linea 5. quam singuli jam æqualiter habent; seu
 adde lineam 4. lineæ 6. oritur linea 10. quæ æqualiter divisa
 eundem producet numerum, scil. quinarium, qui proinde est
 proportionalis media inter 4. & 6. & hic igitur vere sunt nu-
 meri proportionales, hoc modo 4, 5, 6. Sed conferamus jam
 nostrum depositi casum, quo non singuli habent lineam, sed
 unus tantum, qui eam apud alium deponit; Ponantur ergo iti-
 dem duo homines, quorum Sejus lineam suam 5. tradit Cajo
 totam depositi loco, & Sejus postea totam, non vero excessum
 aliquem repetit, hic Cajus solus jam habet lineam 5. totam,
 Sejus non habet lineam; ex hac igitur collatione evidenter
 patet, quæ nam hic desint. Excessus ibi erat in linea Caji,
 quæ ipsius erat, hic ille lineam non habet, quæ ipsius sit: de-
 defectus erat in linea Seji, quam proinde tenebat, hic vero non
 tenet, nec ergo hic excessus esse potest, nec defectus istarum
 linearum, ac proinde nec medium: non possunt ergo hic li-
 neæ inter se comparari, cum una tantum sit linea, quæ tota
 est apud Cajum deposita: nec possunt dici hi duo inæquales
 lineas habere, ubi alter nullam lineam habet; & cum propor-
 tio sit inter numerum & numerum, non potest ille proportio-
 ne uti, qui nihil ex numero habet. Porro cum medius nu-
 merus oriatur & contributione excessus & defectus, seu ex de-
 tractione excessus, ejusque pro dimidio ad deficientem addi-
 tione, non potest hic dici excedere numerus alium, aut defi-
 cere ab alio, ubi unicus tantum est numerus; aut esse exces-
 sum in numero, ubi alius numerus non est quem excedit, & ubi
 totus numerus penes unum est, non duo numeri inæquales
 apud

apud duos. Denique non possunt dici duæ lineæ ad æqualitatem redigi, ubi una tota lineæ ad alium redit & transfertur; nec uterque lineam æqualem retinere, ubi ab uno omne quod habet aufertur, & alteri adjicitur: Non hic ei, qui plus habet, aliquid detrahitur, sed totum, quod habet, aufertur; Non ei, qui minus habet, aliquid adjicitur, sed totum, quod non habet, traditur; atque ita non pars toti detrahitur, aut pars toti adjicitur, ut in lineis proportionalibus, sed totum uni detrahitur, & totum alteri adjicitur: adeoque non hic medium aliquod proportionale quaritur, ut quisque partem habeat, ut in exemplo duarum linearum; sed totum, quod alter habet, ad alium transfertur, ut ille nihil habeat, hic totum retineat. Atque ita Justitiam commutativam non esse medium proportionale patet: Idem evidens est in distributiva; In illa enim quæ cuique ex ea competunt, non sunt media in ista proportionem, sed alterum est extremum: Finge: Sejo, qui duas partes habet meriti, accipit 4. Titius, qui tres partes tenet, 6. illa ergo quæ Sejo & Titio competunt, sunt 4. & 6. Senarius autem non est inter media sed extrema in proportione, quæ ita se habet 2, 4, 3, 6. ac proinde, quod singulis competit, seu quod in hoc specie justum est, non est medium sed extremum. Scilicet ex hac justitia, prius singulis constituendum est, quod ipsis competit; ut infra dicitur; quæ ita constituta, si inde discedatur, jam rationem mediorum habere incipiunt, dum pro extremis sunt ea, quæ inde discedunt, vel excedendo vel deficiendo.

Dico 2. Vitiosa est illa distinctio, qua in Justitia commutativa Arithmetica proportio i. e. omnimodam æqualitatem; in distributiva Geometricam observandam esse dicitur; i. Quia & in commutativa, quæ dicitur, occurrunt species proportio Geometricæ ac distributiones: & in distributiva, Arithmetica; imo in eadem sæpe legis specie utraque promiscue. In commutativa. Justitia proportio Geometrica occurrit: in stipulationibus duplæ propter evictionem, item in omni-

omnibus actionibus in duplum, tripulum, &c. In usuris, quincuncibus v. g. semisibus &c. solvendis; in alluvionibus prægata terræ determinandis; in collationibus *t. t. Collat. pass.* in iactibus ex *L. Rhod. t. t. l. Rhod.* Concurſu creditorum *l. 6. fin. C. reb. aut Jud.* In societatibus, de quibus *mox.* In iure accrescendæ hereditatis. *l. 66. Her. inst.* in obligatione heredum *l. 4. V. O. exercitorum l. ult. §. pen. Nau. caup. l. 4. pr. Exerc. aff.* In detractioe *L. Falc. ipse Imp. Geom. prop. precedii. §. f. Leg. Falc.* In divisione dotis; aliorumque fructuum, de quo *vid. Sect. 2.* & in numeris aliis, quæ referre piget. Ita contra in distributiva iustitia prop. Arithm. seu æqualitas sæpe occurrit; ut in tutela & cura *§. ult. cap. min. l. 9. leg. tut.* Imo quoties ob meritorum diversitatem distributio fit Geom. tones si merita sunt æqualia fit æqualiter; sed hæc satis nota, & indubia. Illud non prætereundum, in eodem casu modo Geom. prop. observari, modo Arithm. Si servus communis stipuletur dominis in genere, acquirit iis pro dominica parte *§. ult. Stip. Serv.* adeoq; solvendum id singulis prop. Geom. v. g. si alter habeat unam partem, alter duas, & stipulatus sit 18. ille habebit 6. hic 12. quod est prop. Geom. ut patet. Si autem servus stipulatur eis, expressi nominibus propriis, singulis æqualia acquirit. *l. 37. Stip. Serv.* quod juxta *Dd.* esset prop. Arithm. Imo si & nomine proprio & nomine dominorum eos appellavit, ea causa prævalet, quam prius nominavit *d. l. 37.* Et ergo eodem hoc casu vel Geom. prop. vel Arithm. acquirit, prout servus vel prius nomen dominorum, vel nomen proprium dixit. Ita, quando ab heredibus legatum aut fideicommissum relinquitur, si nomine proprio sunt appellati viriles, i. e. æquales, si communi heredum, hereditariæ partes debentur. *l. 124. leg. 1. l. 24. ad Treb. l. 8. stat. lib.* hoc est pro rata partium quas in hereditate obtinent, v. g. si in hereditate sunt 150. & legata 36. is qui duas habet partes v. gr. 100. præstat, 24. qui unam scil. 50. præstat 12. unde numeri 100, 50, 24, 12. continent, prop. Geom. sc. hemiplam. Ita in hereditate, rebus-

rebusque communibus omnibus divisio modo fit pro rata, modo pro virili; id est modo Geometricæ, modo Arithmetice: modo plane inæqualiter. Idem in collationibus, Jure accrescit. Jactu ex L. Rhod. & omnibus supra adductis casibus evenit. (*Ad l. 2. & seqq. V. O.*) Idem denique ut pateat, quamvarie in subtilissima stipulationis dividuæ ac individuæ materia eveniat, breviter eam extricabimus. In iis quæ partium seorsim præstationem recipiunt, heredes pro rata tenentur, idque indubium: In individuis autem quædam per partes quidem præstari possunt, sed nisi totum solvatur, obligationi non satis fit, ut homo in genere; Si enim pars Stichi solvatur, in suspenso est obligatio, vel etiam pars statim condici potest. *l. 2. §. 1. V. O.* cum enim electio fit *Debitoris*, potest post alteram partem in Pamphilio solvere, & sic non solvitur homo, qui debetur, sed duorum hominum duæ dimidia, quæ non constituunt hominem; & hac ratione non potest mutari obligatio in persona heredum, ut scilicet aliud ab iis debeatur, quam defunctus debuit. *d. l. 2. §. 2.* Quædam plane per partes præstari non possunt; ut *Via actus*; item facta hæc: *Iter fieri* &c. In his heredes singuli conveniri possunt in solidum, adeoque æqualiter tenentur hæc. sed qui solvit, à reliquis repetit pro rata, & hæc tenentur tantum pro rata *d. l. 2. §. 2. l. 4. §. 1. eod.* Ratio prioris, quia res est individua, quæ inter plures dividi non potest; ratio posterioris, quia omnes commisisse videntur, quod inter partes dividi non potest, adeoque non nisi in solidum peccari. Ita si heredes; *iter fieri*; debent, non potest dici factum iter, nisi in solidum sit factum; sed si unus solvat, vel interesse præstando, vel curando ut fiat, à reliquis pro rata repetit quod impendit *d. l. 4. §. 1.* Idem est si actus fit in stipulatione, cum quo idem esse videtur, si stipulatio ita fiat; *Per te non fieri, quo minus ire agere liceat.* sed hoc plane diversum est, & subtiliter satis non tantum à stipulatione actus & viæ, sed etiam à facto, *iter fieri*, distinguitur: Non hic singuli seorsim, ut illic, sed omnes simul tenentur: *d. l. 2. §. pen. l. 3. fin.*

ead. non in solidum, ut ibi, sed pro parte committentis. *d. l. 4. §. 1.* Ac proinde non unus quod solvit recipit à reliquis omnibus pro parte ipsorum in solidum; sed omnes quod solverunt pro rata repetunt ab uno pro ejus parte. *dd. ll.* Ratio differentiarum: in stipulatione, *per Te non ferri*, illud *Te*, quod individuum erat in persona defuncti, dividitur in personis heredum, sola defuncti persona in plures quasi heredum personas distributa; Unde fit, ut unus heredum impedire possit pro sua parte, quod defunctus non nisi in solidum potuit, ut dicitur in *d. l. 4. §. 1.* add. ratio prioris ex *d. l. 3. fin. l. 5. fin. V. O.* pœna adjecta iterum aliud jus in individuus; non enim singuli in solidum, ut ibi, sed omnes simul pro rata pœnam committunt, in reliquis pro sola ejus parte hereditaria, qui aliter facit *d. l. 4. §. 1.* quod iterum diversum in heredibus stipulatoris. *arg. d. l. 3. §. 1.* Adjecta enim pœna omnes in solidum agere possunt, sed non prohibiti remouentur exceptione doli *d. l. 2. fin.* Pœna non adjecta, solus prohibitus pro sua parte agere potest: ratio differentiarum est in *d. l. 3.* Et igitur hinc constat, quam varie eadem obligatio æqualiter modo in omnium persona consistit, & effectus pro rata, seu prop. Geom. in singulis distribuitur: modo utrumq; pro rata dividitur.

2. Proportiones sunt tantum instrumenta quædam extrinseca & quasi mensura, quibus debitum, quod lege jam definitum est, dividitur & computatur; adeoque ad hanc aut illam speciem Justitiæ non magis pertinere potest, quam mensura ad agrum, aut additio, seu alia quævis numerationum, species ad debitum; nec ulla alia ratione attenduntur in juris casibus, nisi quatenus per rationes æquitatis ac justitiæ aliquod jus ex æqualitate vel simplici vel proportionata constituitur, quod per has species explicatur: Et cum actum proport. Geom. esse comparationem rerum jure distribuendarum, Arithmetice autem injuste distributarum correctionem, ex supra dictis liquidum sit, & uterque ille actus in utraque justitiæ specie sine dubio occurrat, necessario efficitur, utramque proportionem

nem promiscue in utraque Justitiæ specie locum habere posse. Sed & supra satis probatum, non posse id pendere ab hac aut illa Justitiæ specie, ut proportio sit vel Geom. vel Arithm. uti reliquæ numerationum species manent, eadem in quacunq; materia adhibeantur; sed id pendere à fine & qualitate quæstionis, scil. an res rem excedat, vel an res cum re conveniat, quod in utraque specie justitiæ promiscue contingere potest. Hinc etiam constat, quam vana sit illa quæstio, quænam proportio in societate observanda? Quia utraq; pro diversa ratione calculi & quæstionis subjectæ locum habere potest. Ex lege igitur, aut ratione, seu conventionis tenore prius dispiendum, quot quisque partes habeat; ac proinde si v. gr 36. lucrati sint socii, & unus habeat duas alter quatuor partes, & quæratur quot cuiq; competant ex istis 36. ineptus esset, si quis ad prop. Arithm. provocaret, & dispiceret, quod numerus numerum exsuperet, quid deficiat uni, quid alteri excedat, cum neutri excedat seu deficiat, quia neuter, aliquid habet, sed adhuc res in communiione est: adeoq; de ejus justa distributione agitur pro rata, quod est Geom. proportionis. Si enim is, qui 2. partes habet in societate, accipit 12. alter, qui 4. habet partes accipiet 24. quod, qui proportionem intelligit, non negabit, esse prop. Geom. in reliquorum autem gratiam idem probatur, tum quia numeri juxta regulam proportionis auream (quam niti Geom. prop. constat) seu *di rre* quæ dicitur, dispositi sunt, ita, ut positus 2, 12, 4. quartus Geometricæ proportionalis inde eliciatur, scil. 24. tum quia inæqualis est excessus ut patet, & contra æquales rationes, scil. sextuplæ, tum denique quia extrema: 2, 24. multiplicata, sunt æqualia mediis 4, 12. multiplicatis, quæ omnes sunt notæ indubitæ prop. Geometr. Mirari ergo subit, quosdam Doctores, asserere indistincte in societatibus adhibendam proportionem Arithmeticam; inter quos vel magis miror esse Bachovium, qui, cum asseruisset, quando sociis pro rata lucrum tribuitur, v. g. si alter 6. alter 12. contulerunt, & 6. lucrati, ille 2, hic 4, accipit ex lu-

cro, esse proportionem Arithmeticam; quasi pro confirmatione addit: perinde hoc fieri, ac si quis pistori duos nummos dedit, qui eo, qui dedit unū, plus accipit non Geometrica proportione sed Arithmetica, qui intolerabilis est error, quem ex infima tabernarum plebe pueri castigabunt: Si enim is, qui pistori dedit unum nummum, accipit panem 3. librarum, si alius det duos nummos, accipiet panem 6. librarum: constat autem quatuor hos numeros 1, 2, 3, 6. esse Geometricæ proportionales, proportione scilicet dupla, quia itidem extrema multiplicata scilicet 1. & 6. quæ faciunt 6. sunt æqualia mediis multiplicatis, scilicet 2. & 3. quæ multiplicata itidem faciunt 6. cum contra in Arithmetica proportionalibus extrema addita æqualia sint mediis additis, quod secus hic est; adde enim extrema 1. & 6. fient 7. adde media 2. & 3. fient 5. sed & hoc per d. regulam proportionis, vel tabernæ puer expediet. Cæterum si distributio injuste facta sit, ut alter plus v. g. 14. alter minus v. g. 22. habeat, jam detrahendus à priore excessus per proportionem Arithm. & addendus posteriori, & sic hi numeri evenient 12, 24. 12, 14, qui sunt Arithmetice proportionales, idque in omnibus distributionibus juris evenit.

3. Tertia ratio est: Quod plurimi sint in juris materiis casus, qui evidentem habent æquitatem ac justitiam, nec tamen ad ullam proportionis rationem referri possunt; Imo directe contrariam proportionum regulis decisionem sæpe continent: ex quo necessario efficitur, justitiam, seu id, quod per eam cuique debetur non esse medium proportionale, alias enim semper ad proportionum regulas reducendum esset; quod tamen non fit: Ita quod actor sequitur forū rei: Quod jus tutelæ sequitur jus successionis: Quod ex contractu emtionis, etiam si perfectio, emtor non possit statim rem petere nisi precium prius solverit; Quod in jurisdictione quædam mandari possint, quædam non; Quod in propria causa nemo jus dicere possit: & infinita alia, evidentem quidem & naturalem habent rationem, non tamen ab ulla proportionis consideratione depen-

pendent. Imo quod masculi præ feminis, & aliquando soli masculi succedant, & inter ipsos masculos primogeniti succedant, potius repugnat æqualitati proportionum, & sola defenditur ratione Politica, & familiarum intuitu, quem tamen etiam S. Literæ probant. Hæccine autem ideo minus justa sunt, quod proportio in iis, aut æqualitas quædam non sit? Quod si autem justa sint, falsum est justum esse æquale aliquod, nedum medium proportionale. Videamus Papin. casus perplexos enodantem, rationes exactas addentem, æquitati aras ubique extruentem, nulla tamen adhibita proportionis imaginaria ope: (Species intricata l. 64. Eviſt.) Ex multis eligemus textum intricatum in l. 64. Eviſt. Emi, inquit, à te 1000. jugera, v.g. pro 100. talentis, in casum eviſtionis stipulatus duplam, quo casu constat teneri venditorum pro quantitate partis evictæ l. 1. Eviſt. Postea 200. periere vi fluminis, & 200. pro in diviso evincitur, quaritur an venditor teneatur tantam in quintam partem 1000. jugerum, scil. in 200. an in quartam, scil. 250? Ratio dub. est, quod quarta pars sc. 250. videatur fuisse aliena, cum postquam 200. perierint, adhuc 200. quæ jam sunt quarta pars, evincantur, idque pro indiviso, ideoque & illis decesit quarta pars ex 200. quæ proinde etiam aliena fuisse videtur, & venditor pro ea precium accepisse. Ratio dec. Damnum illud emtori non venditori contigit, illius enim post traditionem periculum est; nec conqueri potest, idem enim damnum passus fuisset, etsi jugera aliena & evicta non fuissent, & sufficit ipsi duplum: Secus est si totus fundus evincatur, tunc enim minui non potest obligatio: totius enim natura individa est, & si tantillum demas, non amplius erit totum illud, quod in stipulationem venit, quæ utpote stricti juris minutionem non patitur, secus quam in actione exemto, quæ b. f. est l. 70. Eviſt. l. 45. Aſt. Emi. & hæctenus pr. d. l. Porro, si per alluvionem accedant 200. ut jam sint 1200. jugera, & eorum quinta pars pro indiviso, (cui proinde pro rata accedit quinta pars novæ terræ) adeoque 240. evicta sint, quaritur an
 C 3 vendi-

42

* (o) *

venditor tota illa 240. præstare debeat? Rat. dub. quia tota illa 240. evicta sunt: cum, si non fuisset res aliena, emtoris illa 40. accessio fuissent, adeoque culpa emtoris id ei decesit. Rat. dec. Uti aliorum, ita accessionis periculum venditor non præstat, omnia enim & incrementa & decrementa ad emtorem pertinent, & quid si ante alluvionem alter rem suam evicisset? idem emtori defuisset. §. 1. d. l. 64. Denique si ab una parte pereant, ab altera accedant 200. & post quintam partem pro indiviso evincat alter, scil. 200. juxta dicta venditor ex 1000. non quintam sc. 200. præstabit ob primam rationem, nec quartam sc. 250. ob secundam; sed solam quintam ex 800. residuis, scil. 160. Rat. dub. quod 40. amplius sint evicta, quæ absunt emtori, & quorum precium adest venditori; Rat. dec. æquisima à jure compensationis, illa 40. quæ deceperunt, videntur iterum accessisse in nova terra; adeoq; cum illis compensanda. Hæc est æquisima obscuri casus decisio, quæ nescio, an fatis feliciter vulgo extricetur.

4. Quod eadem illa proportio, quam Dd. Justitiæ correctoriæ seu commutativæ propriam faciunt, æque occurrit in distributionibus; & in iis sicubi à medio recedatur, reductio ad illud medium fiat per proportionem Arithmeticam; quod ita patet. Sint v. g. distribuenda 36. Primo & Secundo, secundum cujusque dignitatem; sit ergo primi dignitas ut 3. secundi ut 6. habeat primus 12. Secundus 24. proportione Geom. ut enim se habet 3. ad 12. ita 6. ad 24. Accidit autem ut Primus tantum acceperit 10. & proinde secundus 26. habeat; quæritur quomodo facienda correctio? Respond. detrahendus est excessus scil. 2. Secundo, & adjiciendus Primo, atque ita correctio fit per proportionem Arithmeticam in distributione præriorum, ut mox patebit; Vidit hoc Vir quidam Gravis & undiquaque eruditus, & respondet, esse hanc æqualitatem Geometricam, ad quam res reducitur detractatione lucri, & restitutione damni; & pergit; Non omnis detractio & additio vide-

* (o) *

videtur esse proportio Arithmetica, sed quando per illam
detraktionem & additionem duo inæqualia ad idem medium
rediguntur, & numero vel quantitate æqualia fiunt. Sed pace
hujus Viri dictum velim, hoc manifeste falsum videri: Non
enim proportio Arithmetica inter eos tantum est numeros,
quorum medium proportionale est æquale, quod fit, quando
conjuncta est proportio, ut inter 6, 8, 10, ubi mediū proportio-
nale est 8, quæ bis sumuntur; quantum enim 6. distat ab 8. tantum
8. à 10. detrahe igitur 2. à 10. & adde eadem duo ad 6. existet du-
plex numerus medius proportionalis, scil. 8. singuli igitur hic
habebunt 8. & æqualia arithmetice: non tantum, inquam in-
ter hos numeros est proportio Arithmetica: sed & inter hos,
quos supra adduximus, scil. 6, 10, 20, 24. in quibus est propor-
tio disjuncta & duo media proportionalia, scil. 10, 20. quod
evidenter patet; Quæ enim est differentia inter 6. & 10. eadem
est differentia inter 20. & 24. quod est proportionis Arithme-
ticæ, quia differentia sunt numero & quantitate æquales: 2.
Media addita æqualia sunt extremis additis, quod itidem est
proportionis Arithmeticæ; v. g. 6. & 24. faciunt 30. ac 10. & 20.
itidem faciunt 30. 3. Si essent Geometricè proportionales hi
numeri, media multiplicata foret æqualia extremis multi-
plicatis, ut demonstrat *Eucl. dicto loco.* quod tamen hic non est.
Loca Aristotelis, quæ adducit Vir Clar. nihil obstant: loquuntur
enim de differentia proportionali, quam numero æqualem
esse constat: sed nec æqua nobis hic est Aristor. in propria cau-
sa autoritas. Crasse autem nimis errat *Lesus de Just. & Jur.*
6. 1. dub. 4. qui cum dixisset per Justitiam distrib. disponi to-
tum, v. g. Remp. ad partes, scil. cives, in distribuendis præ-
miis juxta prop. Geom. mox addit, aliud esse, quando v. g. mi-
litiibus stipendium solvit, tunc enim haberi, ut civis ad civem,
& observari æqualitatem rei ad rem. Ergo ex hac sententia,
si Resp. uni solvat pro 2. mensibus 8. alteri pro 4. mensibus 16.
erit Arithm. prop. Si vero eidem illi pro meritis ut 2. sol-
vat 8. alteri pro meritis ut 4. solvat 16. erit Geom. prop. & sic
iidem

iidem numeri 2. 3. 4. 16. erunt modo Arithm. modo Geometrice proportionales, quo nihil falsius. Esse autem Geometrice proportionales patet: 1. Excessus enim sunt inæquales; 2. Media extremis æquantur multiplicatione non additione, 3. Ex tribus prioribus numeris elici potest quartus prop. per regulam proportionum auream: Hinc evidens est, quam infeliciter Dd. suam istam hypothefin expediverint, de quo satis hæctenus.

SECTIO II.

Ubi sententia nostra proponitur & explicatur.

Prima ac simplicissima Justitiæ ratio ex aliquo æqualitatis jure oriri, & prima naturæ lex, legum æqualitas esse videtur, tamdiu donec scil. inæqualitatis apparet ratio: Cum enim ipsa natura ab æqualibus, tanquam simplicibus processerit ad inæqualia, & communem prius formam rebus indiderit, ac post demum diversis illam speciebus distinxerit; merito illa æqualia mansisse videri debent, quorum non apparet postea facta distinctio. Ita & res produxit tantum naturam, non distribuit, & hæctenus homines æquales fecit, unipræ alio nihil concedendo. Hæc ergo lex naturæ prima ac simplicissima tamdiu obtinebit, dum apparente aliqua distinctione æqualitas ejusque jus evanescat; Hinc est, quod distributiones fiant æqualiter, quando proportionales adjectæ non sunt, *l. 164. V. S. l. 43. Usufr. &c.* quod in hereditatis divisione, si nullæ expressæ sint partes, dicatur satis constare, eos ex æquis partibus heredes esse, *§. 6. Her. inst. l. 9. §. 12. eod.* Imo & si aliquid inæqualitatem suadeat, & dubitetur quid determinandum, ad simplicem illam æqualitatem reditur. *l. 40. verb. æquis proportionibus Vulg. subst. §. 39. Rer. div. l. 6. A. R. D. l. 7. §. 12. fin sol. marr.* Huc spectant *et. Quod quisque jur. in al. l. 2. F.*

33. §. 1. & 5. R. I. 1544. §. Und sollen die Beyfiger/ verb. gleich-
 mäßig recht sprechen. R. I. 1570. §. Ulsdann auch wenig verb.
 In gleichen Fällen gleich recht/ &c. Sed cum ipsa hic non sub-
 stiterit natura, sed ad multarum rerum distinctionem proces-
 serit, & inter homines industria, prudentia, robur, aliæque
 circumstantiæ infinitæ distinctionem etiam jurium inducant,
 receditur hæctenus à simplicissima illa æqualitate, & inspici-
 tur quod jus cuique subiecto conveniat, & ita iusta pro-
 portio, quæ Geometrica dicitur, non tantum in honoribus,
 sed & in aliis distributionibus, quæ in contractibus aliisque
 speciebus occurrere possunt, sæpe observatur: Sed nec hæc
 proportionata & respectiva æqualitas perpetua est, sed tantum
 quamdiu infinita proportionem specialior ratio non destruit:
 Ratio autem illa specialior aliquando ipsum proportionis jus
 confirmat, ut in fructibus dotalibus, de quibus mox; aliquan-
 do autem illam quæ indefinita est, & respectus habet diver-
 sos, restringit ad certum aliquem respectum, ut in l. 30. *Locat.*
 (in qua pessime Hol. legit *locavit pro conduxit*) ibi enim litis
 æstimatio vel respectum habet ad conductorem, ut ab ejus
 parte fiat secundum id, quod ejus intereat; vel ad locatorem,
 secundum id, in quo is deficit. Aliquando autem plane de-
 struit, & inæqualia omnino inducit, ut mox probabimus. O-
 mnibus ergo hic modis distribuere suum cuique jus potest, ut
 vel æqualia habeant, vel proportionata, vel plane inæqualia,
 neque illud in honoribus tantum, sed in quavis Justitiæ par-
 te; Et ex his juris fontibus quisque suum habet in Repub. per
 illud Justitiæ officium, quo illa singulis suum tribuit, adeoque
 distributorium est: Verum si in illa distributione aliquid com-
 missum, ut quis non habeat, quod ex Justitiæ officio distribu-
 torio ipsi debetur, jam eadem Justitia corrigit in quo peccat-
 um, estque hoc ejus officium correctorium, & fit per prop.
 Arithmet. qua excessus demitur, & defectus suppletur. Non
 igitur duæ hic sunt Justitiæ species, sed una eademque Justi-
 tia, verum diversæ ejus functiones, per quarum alteram con-
 D
 grua

grua distribuit, per alteram incongrua corrigit; unde non dico justitiam distributoriam vel correctoriam, sed Justitiæ officium distrib. aut correct. Sive ergo æqualiter distribuendum fuit jus sive ergo æqualiter distribuendum fuit jus, sic proportionate, sive inæqualiter, sicubi in aliqua parte inde discedatur, sola est proport. Arithmet. quæ in omnibus istis speciebus excessum aut defectum corrigit, non tantum in illa parte, quæ vulgo commutativa dicitur, sed & in distributiva. Et hac demum ratione illa omnibus juris partibus recte applicatur, quando suo singulis rite distributo per Justitiæ officium distrib. singuli id habent, quod ipsis competit, sive id sit æquale, sive proportionatum, sive inæquale, & hoc rationem habet medii, à quo si per contractus, vel delictum, aut alia ratione inde discedatur, per Proport. Arithmet. fit correctio. Et hæ sunt duæ justitiæ partes, quibus omnis juris tractatus consumitur. Primo enim leges, quæ singulorum sint jura, exponunt, & ita suum cuique distribuunt. Deinde remedia proponunt, quibus singuli, si, quod ipsis jure competit, non habent, consequantur. Illud fit distributorio Justitiæ officio, vel per omnimodam æqualitatem, vel certam proportionem, vel omnino inæqualiter suum cuique tribuendo; Hoc correctorio ejus officio, varia remedia inveniendò, quibus juxta regulas proport. Arithmet. excessus & defectus reducuntur, idque in omni juris parte.

Non onerabimus jam has pagellas exemplis. Omnium loco potest esse casus *l. 38. Cond. ind.* Cujus involutas factis rationes, ut pateat, quantum à proportionum regulis dissentiant, breviter hic cum ipso casu excutiemus. Duo sunt fratres P. & S. ille 200. habet in peculio, hic 50. P. dat fratri S. 100. mutua: (Explicatio involutæ *l. 38. Cond. indeb.*) Post mortem patris dividitur hereditas & conferuntur peculia: porro P. petit à fratre S. 100. mutuo data, poterat opponi exceptio SCri Maced. sed ea omisâ frater S. per errorem solvit P. quaeritur, an repetere possit? Videbatur non posse, quia naturalis subest

subest obligatio propter consensum, quo mutuum contraxit, sed tamen repetet pro ea parte, qua ipse heres est patri: ratio, quia idem jam foret debitor & creditor, cum successerit patri, in cuius potestate fuit peculium fratris, ac proinde & debitum ei acquisitum; Confusis igitur debito ac credito sublata est obligatio etiam naturalis, & datur repetitio: pro altera parte, qua frater heres extitit patri, non repetit, cessat enim illa confusionis ratio, sed si non minus ex peculio suo ad fratrem pervenisset, id est, si frater P. tantumdem ac est residuum debiti, ex peculio fratris S. consecutus sit, repetet: ratio, quia frater jam succedit debitori scil. patri, qui pro ea parte fuit debitor, uti pro altera parte creditor, non enim tantum acquiritur patri jus crediti per filium, sed & tenetur ille ex contractu filii de peculio, si ergo in id succedit frater creditor, quatenus succedit confusa sunt actiones, quia alias idem sibi deberet: quod si autem minus accepit ex peculio, pro residua parte frater non repetit, quia haec tenus durat naturalis obligatio, non confusis actionibus: Pater enim jus crediti in solidum habuit, adeoque pro ea parte, qua frater debitor successit patri creditori, in solidum extinguitur obligatio: sed ob debitum pater tantum tenetur ratione peculii, adeoque pro ea parte, qua frater creditor successit patri tanquam debitori, confunditur tantum obligatio pro modo peculii, si ergo minus sit in peculio, remanet naturalis obligatio pro residuo. Ita ergo explicato *d. vers. si non minus*, necessaria sequela jus illud inde deducitur, ut adeo non videatur probari posse explicatio *Clar. Dn. Struv.* qui ita *d. vs.* explicat: Ut repetere frater possit debitum illud, si non ante jam detraxisset. Nam 1. Etsi detraxit debitum, utique tamen aliquid pervenit ad fratrem ex peculio, quo ipso extinguitur naturalis obligatio, quia confunditur pro illa parte, qua creditor succedit in peculium debitoris, etiam cum detraxit. 2. Si frater semel detraxit debitum, non potest videri errore postea solvere; & sic omnis etiam pro sua parte cessaret repetitio, quia sciens se

D 2

non

non debere solvit *arg. l. 1. §. 1. l. 40. Cond. ind. l. 17. fin. Reb. cred. &c.* scivit autem quia ante deduxit. 3. Et sic ratio, cur non repetet, non erit remanens obligatio naturalis, sed consulto facta solutio. 4. In exemplo *D. Struv.* saltem 30. ex peculio perveniunt semper ad fratrem, pars autem debiti non est ultra 20. semper ergo repetet frater illa 20. quia impossibile est, ut duret naturalis obligatio quoad 20. dum enim quoad 30. creditor debitori succedit, hoc ipso confunduntur actiones etiam usque ad 20. nedum ergo 20. Multa prater ea adduci possent, sed hæc sola, pace *Viri Clar. allego.* Potuit ex hac lege hereditas æqualiter divisa fuisse, potuit certa proportionione; potuit & inæqualiter; itidem peculia: quocunque autem modo divisio facta sit, quisque suum habet ex iudicio defuncti: Ponamus tamen singulis æqualia, v. g. 200, data esse; quisque suum tener: sed dum frater solvit fratri 100. mutua accepta quæ non debebat ob scitum: non amplius singuli suum habent, sed unus 100. alter 300. ibi defectus, hic excessus: media singulorum, i. e. quæ singulis competunt, sunt bis 200. (equidem si, ut in pr. casu ponamus, in unius peculio fuisse tantum 50. adeoque ad alterum tantum 25. pervenisse, quoad 25. reliqua duraret obligatio naturalis, & ita excessus tantum esset 75. sed ponamus ex 100. mutuis auctius factum fuisse peculium, ut ratione totius debiti confusio facta sit) frater & pro parte sua & pro parte fratris, ad quem non minus ex peculio pervenisse supponitur, quam debiti pro parte quantitas, adeoque confusio in solidum facta; detrahit excessum fratri, juxta prop. Arithm. & condicit 100. quæ indebite solvit: atque ita excessus & defectus ad medium reducti, corriguntur. Quam vario autem jure fiant distributiones ut pateat, & quod in exactissimis proportionibus alia sæpe quam proportionis ratio attendatur, placet resolvere textum difficilem *in l. 7. §. 1. Sol. Matr. (Ad l. 7. §. 1. Sol. matr.)* in cuius casu matrimonium contractum tempore vindemia, v. g. Cal. Octobr. percepta vindemia fundus dotalis à marito locatur Calend. Nov. divor-

* (o) *

79.

divortium fit Cal. Febr. stetit matrimonium quatuor mensibus seu tertia anni parte Locatio 3. mensibus, seu quarta anni parte; ait JCrus, quartam partem mercedis confundendam cum fructibus, ut Vir tertiam partem ferat. Non memini legis, cui elegantius aut acutius applicata fuerit proportio, & licet expresse in æquitate se funder, meruit tamen iniquitatis accusari à Wissenb. & Dd. eo quod nullus mentem ejus recte perceperit; ut probatum dabimus. Ita ultima verba explicant: Sint fructus 48. merces anni 24. hujus mercedis quarta portio scil. 6. pro quarta scil. parte anni, seu 3. mensibus, quibus locatus fuit, fundus, confundatur (id est, ut volunt, commisceatur, addatur,) cum fructibus, scil. 48. & quarta mercedis parte scil. 6. Vir retinet tantum duo ex tota anni mercede: Hæc autem explicatio falsa est, neque ea est mens JCrus, quod probon Quia aperte iniqua est sententia, ut jam ipsi fatentur; quod tamen non credendum de Papin. ad æquitatem provocante. 2. Quartam partem mercedis JCrus jam ante concessit & solam vindemiam integram viro negavit; ut patet ex subjecta ejus ratione *Verf. Alioquin*, id enim unicum videbatur absurdum, non vero id ut quadrantem mercedis pro quadrante anni haberet, quod æquisimum. 3. Nihil est rationis cur quarta illa pars mercedis ita adhuc dividenda sit, cum muliere, ut illa duas adhuc ferat partes, Vir unam, cum quarta illa pars jam semel cum muliere divisa sit, & illa pro rata anni suam portionem jam habeat; & cum Vir ex fructibus non amplius quam pro rata anni habeat, scil. trientem, pro tertia anni parte, seu 4. mensibus, cur ex totius anni mercede tantum habeat duodecimam partem & non potius, ut in fructibus, pro rata quartam. Alia igitur est sententia JCrus, & scil. hæc species: Matrimonium stetit 4. mensibus, locatio 3. illud tertia, hæc quarta anni parte: fructus anni sunt 48. merces 24. Ait JCrus, quartam partem mercedis scil. 6. cum fructibus, scil. 48. esse confundendam, i. e. esse perinde habendam, ac si contineretur illis 48. quæ sunt fructus, & quasi esset pars

D 3

isto-

istorum 48. Illud enim hic est confundi, non, conjungi cum aliis, iisque addi, sed miseri cum aliis, ut unum cum iis idemque sint nec seorsim extant: ita actiones dicuntur confundi, in *d. l. 38.* ita & servitutes, quando scil. ita cum alio miscentur, ut pereant, ut non amplius sint: ita & hic 6. illa, quæ sunt quarta pars mercedis, ita miscentur cum 48. ut pereant, & videantur jam contineri istis 48. & alias frustra requireret. Jctus, ut confundantur, cum sive separatim sive utrumque simul computeetur, perinde omnino sit. Confusa itaque quarta parte mercedis, seu 6. illis cum 48. quæ sunt fructus, ita ut pro contentis in illis habeantur, *arg. l. 1. §. 14. Ad L. Falcid.* remanent ex mercede tantum 18. quæ juncta fructibus 48. faciunt 66. ex ea pecunia ait jam Jctus, jam esse relinquendam marito, sc. 22. quod exactissimæ proportionis est, & maritus ita præcise habet partem quartam mercedis integram; quod probatur: Sive enim 4 tam partem ex 24. concedas, sive detracta quarta parte ex 24. tertiam ex residuo scil. ex 18. utrobique idem habebit nim. 6. utrumque ex resolutione patet: Separatim enim computatis fructibus ac mercede, ex unius anni fructibus sc. 48. competeat pro anni parte tertia, seu quatuor mensibus quibus matrimonium steterat triens seu tertia pars fructuum sc. 16. Ex mercede autem, pro quarta anni parte seu tribus mensibus quibus locatio steterat, quadrans seu quarta pars scil. 6. competeant, quæ juncta trienti fructuum scil. 16. faciunt 22. quæ sunt eadem tertia pars, quæ ex 66. viro in lege relinquitur. Ita ergo tam uxor, quam maritus justa proportionem singuli suum habent, vir ex fructibus pro quatuor mensibus 16. mulier pro octo reliquis 32. Vir ex mercede pro 3. mensibus 6. mulier pro 9. reliquis 18. Prior numeratio talis est, 4, 16, 8, 32, Posterior 3, 6, 9, 18. qui omnes numeri, accurate sunt proportionales Geometricæ: quam utramque Jctus una ratione exprimit singulari artificio, ita ut simul utriusque rationem nervose includat, quæ hæc est: quod per hanc confusionem detrahatur Viro, quod in fructibus jam percepit:

percepit: et si enim ex tota summa, scilicet 48. fructuum, & 24. mercedis, quæ faciunt 72. tertia pars scilicet 24. maneret apud Virum, deficeret proportio in binario, quo excedit proportio Viri, & qui deficit mulieri, nec quisque suum haberet pro rata anni: & hoc ideo quia maritus acciperet mercedem pro uno mense, quo, nondum locato fundo, nulla fuit merces, sed tantum fructus, id ergo cum fructu confundendum est, ut nihil ex isto mense remaneat penes Virum nisi fructus. Et eadem ratione, cum maritus trientem v. g. 8. ex mercede computat, uxor bessellem computare debet, scilicet 16. ut fiant 24. detractis ergo Viro duobus ex 8. & confusis cum fructibus, quia retinet tantum 6. ut seruetur proportio, etiam mulieri ex 16. quæ tenet pro 4. mensibus, cum primo mense merces non fuerit, 4. pro illo mense deducta cum fructibus confundenda sunt; ne & ipsi aliquid nisi fructus computentur exprimo mense: & haec igitur ratione quadrans mercedis confunditur cum fructibus propter primum mensem, pro mercede esse non potuit, sed tantum fructus; & quidem una pars istius quadrantis scilicet 2. confunduntur ratione Viri, duæ autem partes seu 4. ratione uxoris: quibus confusis, ex reliquo exacta proportione relinquuntur Viro solâ tertia pars scilicet 22. Ita etiam eodem modo exacte proportio habetur in *d. l. 7. §. 2. 3. 6. 7. & passim. Solut. matr.* in fructibus fundi dotalis inter maritum & uxorem, distribuendis; Aliud autem est contra jus est in b. fid. possessore, aliud item in fructuario, aliud in colono &c. B. fid. possessor fructus percipiendo suos facit *l. 48. A. R. D. l. 28. Usur. §. 36. R. D. fructuarius* quidem etiam; sed diverso jure ac ratione *d. l. 28. l. 13. quib. mod. ususfr. amitt. l. 78. R. V.* Ille jure soli utitur fructibus, qui sunt pars soli seu fundi, quamdiu fundum b. f. possidet b. f. enim possessio pro dominio est; quocumque ergo modo separati sint, siue ab ipso, siue ab alio, etiam fure, manent fundi adeoque & b. f. possessoris, qui & quamdiu fundum tenet. Fructuarius autem jure fructuum eos percipit, quod separatum est à jure soli; quamdiu ergo solo coherent, non habent ratio-

rationem fructuum, sed sunt pars fundi & soli *l. 44. Rei vind.* quod Domini est non fructuarii: separando autē demum à fundo fructuarius eos eximit à jure soli, dum à solo eos segregat, cujus pars erant, ut ita fructuum rationem induant, nec amplius sint pars soli, & sic jure eos ut fructus percipiendo, aut per se aut per alium, qui causam & jus ab illo habet, suos facit *l. 78. Rei vind. l. 13. quib. mod. Us. amitt. l. 28. Usur.* & ergo si alius, v. gr. fur eos separat, qui jus separandi non habet, nulla est separatio, adeoque non fiunt fructus, sed manet fundi & quasi in dominio ac jure soli, à quo nondum jure separati sunt §. 37. *Rerum divis. l. 12. §. 5. Usufr.* (idemque est si deciderint in fundum & nondum inde congregati sint, eadem ratione *d. l. 13. arg. d. l. 12. §. 5.*) ut ergo illi & fructuarii fiant & fructuum rationem induant, necesse est, ut à domino iterum recuperati, inde per fructuarium auferantur, & ita ab eo percipiantur *d. §. 37.* Hi ergo non dividunt cum domino fructus pro rata, ut maritus cum uxore, sed percipiendo suos faciunt. Idemque haec tenus est in colono quod in fructuario *l. 6. §. 5. Locat. l. 61. §. 8. furt.* sed & is alio jure haec tenus utitur, ut extantes fructus, etsi maturos, ad heredes cum ipso fundi usu transmittat, in quo eodem cum b. fid. possessore jure utitur; in fructuaria autem, id secus est. *d. 3. 37. l. 8. An. Leg.* quod facile apparet esse à personalitate ususfr. qui cum persona interit, nec proinde heredes, jus separandi & fruendi habent, finito usufructu. Alia ratio obtinet in Jure Saxónico in fructibus industrialibus, quos fructuarius non nudo jure fructuum, sed jure culturæ ac industriæ suæ percipit; si ergo fundus factus & cultus est, quicquid per istam culturam nascitur, eo ipso fructuario nascitur, adeoque ad jus heredes pertinet, *Sand. N. 2. art. 58.* Ejusdem conditionis est in Jure civili conjux donatarius, nam & is fructus acquirit, quos industria sua percipit; sed ratio singularis, quia sc. alter conjux inde non fit pauperior. *l. 17. Don. int. Vir. l. 45. Usur.* Aliud iterum jus est ac ratio in pensionibus ex istis fructibus redactis

Etis, quæ ad fructuarium pertinent, ejusque heredem, si co-
 lonus v. gr. fructus perceperit. *l. 58. Usufr.* pensio enim loco
 fructuum est, adeoque perceptis fructibus est fructuarii, et si
 nondum finita locatio. Denique diverso jure censentur pen-
 siones ex illis fructibus, qui quotidie, & singulis momentis per-
 ciuntur, v. g. servi ac ædium; illæ enim pro rata temporis
 dividuntur; quia sc. singulis quasi momentis suam perfectio-
 nem & maturitatem habent, & eo ipso dum præstantur, separari
 quasi ab ipsa servi vel ædium substantia ac proprietate, ac
 percipi videntur, *l. 26. Usufr. junct. l. 18. §. fin. Stip. serv.* Ha-
 tenus igitur pensionum harum idem jus est, quod in nostro
 casu, circa fructus fundi dotalis, qui etiam pro rata temporis
 dividuntur; sed diversa utriusque juris ratio: hi enim fructus
 ideo pro rata præstantur, non quia jam percepti, aut tantum
 pro rata percepti; sed propter onera matrimonii, quæ pro rata
 maritus jam sustinuit. Hinc etiam solvitur vexatus textus in *2.*
F. 28. §. pen. (Sententia §. *His consequenter, 2. F. 28.*) Si Vassallus
 post Kal. Mart. (ubi incipit cultura sumtus) moritur, fru-
 ctus percepti usque ad Kal. Septemb. (ubi cum maturi sint
 fructus, omnes tanquam extantes auferri & percipi possunt,
arg. d. §. si vas. §. 2. F. 86.) heredum sunt, jure sc. meliorationis
 ac sumtuuum: *arg. d. l. §. si vas. si post d. Kal.* omnes (sequentis
 sc. anni, nam prioris jam percepti sunt) sunt domini, is enim
 tunc sumtus facit. Alii omnes pendentes domino concedunt
 tanquam jure fundi, cujus pars sunt, sed prior ratio æquior.
 Quam varia hic jurium ratio citra proportionem? Rursus tã-
 men hæc sola est in meritorum præmiis *l. 3. §. 15. Mun. l. ult. 2.*
Imag. l. 14. C. Suscept. verb. qualitatem. Ita recte constitutum,
 ut sumtuuum & magnificentia vestimentorum modus conveni-
 enter ad facultatum ac dignitatis rationem determinetur, &
 Geom. proportio observeretur, R. J. An. 1548. Reformation guter
 Policy. tit. von unordentlicher Köstlichkeit der Kleidung. verb.
 Nach seinen Stand/ Ehren und Vermögen. Eadem observa-
 tur in oneribus, Königl. Satzung von gemeinen Pfennig

54.

1495. &c. In feudi servitiis 2 F. 77. In comitatu Episcoporum visitantium c. 6. X. Censib. in Jure accresc. hereditatis §. 7. l. 13. §. 2. Her. Inst. junct. l. 23. C. Legat. in quibus tamen sepius à proportionem illa disceditur ob alias rationes. Idem imprimis est in distributionibus, quæ respiciunt demerita, scilicet pœnarum: Ita si duobus furibus manifestis distribuenda pœna est, qui furatus est 5. tenetur ad 20. qui 10. ad 40. proportionem sc. Geom. ut patet: Unde constat c. 5. Pen. in 6. vers. præmissis. quæ vindictam ex æquo excessui respondentem & pœnam delicto proportionatam requirit, loqui de prop. Geom. nam in exemplo 5. 20. 10. 40. excessus sunt Geometricæ proportionales: multiplicationem enim æquantur mediis: idemque est in l. 3. fals. ubi pœna pro mensura delicti exposcitur: item in l. 41. Pen. junct. l. 11. pr. eod. l. 138. R. J. Disf. Dn. Struv. Exerc. 1. 1b. 36. Aliquando proportionem quidem jus nititur, sed indefinita nimis, adeoque legibus determinatur: ut in usuris factum à Justin. in l. 26. C. Usur. it. ord. Polit. 1577. 2. 17. §. Und nachdem die &c. §. tit. 9. §. Hierauff sehen. R. J. 1600. §. So viel nun diesem nach R. J. 54. von Gerichtlichen Contracten. R. J. 1654. §. Unreichend künfftige Zinse. &c. Eadem ratione aliæ sunt distributiones, quæ sola æqualitatis ratione nituntur, non proportionis: aliæ denique quæ utramque respuunt, & non nisi inæqualiter jure sunt, quæ ulteriore confirmatione non egent; exempla enim & rationes sup. adduximus. Omnes ergo hæc distributiones rite fieri possunt, & si fiant, quisq; officio justitiæ distributorio suum habet, iisque absolvitur altera juris pars, qua singulorum jura, & quid ipsis competat, exponitur. Omnibus autem his distributionibus etiam commune est remedium, si aliquid in iis deficiat, correctio sc. juxta regulam Prop. Arithm. cui rite expediundæ, varia in jure inventa sunt remedia actionum, exceptionum &c. quibus perficitur altera juris pars, & continentur officio Justitiæ correctio. Cujus tractationi specialiori antequam accedamus, inveniendum prius, quale sit

fit suum cuiusque, in statibus publicis eorumque mixtione; & num æquale, vel proportionatum, vel etiam inæquale plane ipsorum jus, sit, disquirendum: dummodo quid sint status, eorumque mixtiones, ex simplicissimis naturæ principis hodiernaque Rerump. conditione supposuerimus. Hoc enim imprimis quæsitum fuit à Platone, quæ ratio Rebusp. conveniret? sed studebat ille *ἀνισομετρέειν*. Cui adversâ fronte se opposuit Xenophon, inducens Cyrum regem à fociis creatum, & vapulantem, quod vestes, quæ singulis convenirent, non quæ singulorum essent, computari jussisset. Sed sane perperam: vestes jam distributæ erant, non ergo distribuendæ: non hic suum singulis est tributum, sed ademptum: nec vero leges ita suum cuique tribuent, ut prius suum cuique auferant. Hæc ergo nihil morantes pergimus ad statuum delineationem. Ex quavis communione ac societate jus aliquod oriri constat, juxta legem Solonis, quæ refertur. *in*

l. fin. Coll. & corp. imprimis iis verb. *ὅτι τέτων διασθάντας πρὸς ἀλλήλους, κύριον εἶναι;* ubi vox *κύριον*, jus aliquod & autoritatem innuit. In ipsis familiis, quæ seminaria sunt Rerump. est quædam ratio non tantum privati, sed & publici, quod jure quodam totius familiæ est *arg. l. 5. Relig. l. f. C. verb. sign. l. 32. S. f. Legat. 2. & c.* Ex harum ergo omnium collectione non gregaria, (uti hominum, qui in turbam coacti illico discedunt) sed certo societatis civilis vinculo, certa que relationis mutæ ratione cohærente resultat jus aliquod, quod non ad hanc illam familiam, uti nec vinculum commune, sed ad omnes simul junctas, & quatenus junctas, seu potius ad ipsum vinculum, quo cohærent omnes, pertinet; nec potest ab universis illis, qua talibus, & qua simul nexis salva communione separari, non magis quam ipsum commune vinculum, ex quo resultat; quo sublato uti corruiat universitas; Ita jus hoc desinet esse publicum, si ad universos, quo tales, non pertineat, & desinent pars esse communione, ad quos illud non

56.

* (o) *

pertinebit. Isthæ communio & inde resultans jus commune seu publicum, quatenus diversimode ordinatur, dicitur non incongrue *status Reip.* seu *ratio status scil. publici*, qui proinde nihil aliud est quam *Conditio seu ratio, qua communio ejusque jus publicum, hoc vel illo modo ordinatur.* Quod si quis jus illud commune seu publicum, ex ipso comunions vinculo natum, Majestatem realem dicere velit, de verbis equidem non litigo; Sed videre tamen est, voces istas rem non exprimere, imo si paulo exactius loqui velimus, vitiosas esse. Cum itaque jus hoc æqualiter hactenus omnes spectet, ejusque effectus ad omnes redundant, & exinde Cives rem habere publicam dicantur, ut quisque eorum rem privatam (qua voce omnia jura emolumenta, & quicquid in bonis habent, significatur) constat, dominatum aut tyrannicum imperium, non esse rem publicam quæ ad omnes pertinet, sed rem privatam Principis, Tyranni aut domini; & ut in Repub. omnes etiam ipse Princeps ad publicam rem augendam & conservandam collineant, ita in dominatu omnes inserviunt rei privatæ Principis, ut servi rei dominicæ. Ipsa ergo communio quidem vi istius vinculi communis, ac juris inde orti, certa ratione se ipsam disponere, leges de ipsa communiōe hoc vel illo modo administranda, conscribere, ac ita se ipsam communiter regere ac ordinare potest; verum non semper juris seu communiōis illius regimen ipsa retinet, sed licet jus hoc publicum, inseparabile apud eam maneat, ejus administrationem tamen aliquando vel uni vel pluribus concedit, idq; variis modis. Si uni, conceditur illa vel personæ illius, vel familiæ: priori casu interit administratio cum persona, & redit ad communiōem, cui liberum tunc est, ipsa velit administrare (nisi aliunde jus hoc ab ipsa abierit, eo quod jus eligendi v. gr. sit alius jam quæ situm) an aliam personam designare, & hoc electivum regnum dicitur; Si autem familiæ est concessa administratio, non interit cum persona, sed transit regulariter ad primogenitum heredem, Et hæc sunt duæ Monarchiarum species, ubi

ubi duo notamus. I. Quando plures succedunt uni in quadam Monarchia, sed in diversis territoriis, ut olim in Imperio Romano, quando quis alterum sibi Imperatorem adscisciebat, ut unus esset in Oriente, alter in occidentē, discesci eandem Monarchiam in duas distinctas Monarchias, certa tamen ratione ac societatis federe connexas, ut hodie Resp. Belgicæ, Helveticæ & Confederatæ Rhaticæ Inalpinæ. 2. Vitiosum esse, quod quidam distinguunt inter statum & administrationem status: ex dictis enim constat statum Reip. alicujus seu communionis nihil aliud esse, quam conditionem, aut modum administrationis Reip. seu nihil aliud esse quam ipsam communionem hoc, vel illo modo administratam; Unde sequitur statum esse revera Monarchicum, ubi administratio est Monarchica. 3. Ubi plures sunt administrationum species mixtæ, statum denominari à potiori, v. g. si ex Monarchico & Aristocratico, dicitur simpliciter Monarchicus: potior enim est Monarchica dignitas, utpote divisa minus inter plures; eoque illustrior est ac eminentior Majestas, quæ in unius persona splendor ejus magis unitur atque conjungitur. Deinde: Solus Princeps simpliciter rationem superioris habet; reliqui omnes seorsim sumti rationem subditorum; et si qua universi, potestate Principi æquiparentur: Ita Remp. Rom. sub Regibus mixtam fuisse puto ex Regio statu & populari, ita ut ipse populus etiam quædam reservata præ Regibus habuerit, cum à Rege provocandi jus civi fuerit. *Cic. 1. Rep. Sen. ep. 19.* & Reges post Romulum ipsum leges ad populum tulerint *L. 2. §. 2. O. J.* non quidem ut nudi administrati, veluti Consules & Tribuni, sed ut ad socios summæ potestatis, quorum autoritas ad legem erat necessaria; Reges enim non præsentabant populum aut plebem, ut Consules ac Tribuni, sed jure proprio jus summum exercebant, alias enim non fuissent Reges: Denique, magistratus quidam solo populi suffragio creandi fuerunt, non à rege *L. un. pr. Quæst.* Hoc tamen statu populari non obstante, & prærogativas etiam habente, status illius temporis absolute dicitur Monarchicus

58.
 ac Regius L. 2. §. 1. §. 14. §. 16. O. 7. Idque evidenter patet
 ex temperatissimo Angliæ regno, quod Monarchicum esse ne-
 mini dubium: Ita enim utraq; parliamenti domus Regem ap-
 pellant *Most gracious Sovereign* / item in decretis parlamento-
 rum ipsum appellant *Dur Sovereign Lord*; quæ supremum &
 à nemini dependentem Principem notant. Imo in decreto ali-
 quo parliamenti de anno 1671. quod incipit: *We your most oc-
 se* appellant Majestatis ipsius obedientissimos & fidelissimos
 subjectos. Sed & alia sunt quam pluriua, quæ indubium hoc
 faciunt, hac vice breviter causa prætereunda; & tamen certum
 est, politiam hanc ex tribus formis æqualiter esse mixtam, ut o-
 mnium trium consensus necessarij sit in publicis regni decre-
 tis, quorum hodie hæc communis est formula, quæ latine ita
 sonaret. *Decretum esto per Regiam Maj. Per, & cum consilio
 ac consensu Optimatum, Ecclesiastica vel secularis conditionis,
 & populi in Parlamento hoc congregati, & per auctoritatem eor-
 rundem.* Qua formula continetur omnium trium statuum au-
 ctoritate, consilio ac consensu decreta facta esse, Regis sc. opti-
 matum & plebis: & hi tres speciatim denominantur, potestq;
 dissensus unius decreti vim impedire. Imo notabile valde
 est, quod in decreto parliamenti, quod cepit Anno 1661. con-
 tra malitiosos insultus ac vulnerationes in casu, quo quendam
 ex membris Parliamenti malitiose non nulli inuasent & vul-
 neraverant; Parliamentum, damnatis inuasoribus, aufert Re-
 gi ac Successoribus ejus jus aggratiandi §. *And be it further
 Enacted* / &c. & mox tamen idem jus & licentiam latronib; his
 veniam concedendi sibi conservat v. *Unless by act of Parlia-
 ment.* Et in §. sequenti relinquunt Regi jus concedendi veni-
 am iis, qui ipsi non vulnerarunt, sed tantum adfuerunt, uti
 famulis eorum. Et hæc tamen omnia non impediunt, quo-
 minus regnum hoc sit simpliciter Monarchicum, ut nemo in fi-
 cias ire potest, & abunde probatur ab Auctore Angliæ Notitiæ,
 pasim: Hoc regei velim iis, qui negunt imperium nostrum
 esse Monarchicum, quia Imperator non omnia solus facere po-
 test;

59.
 rest: Ex dictis enim sequitur, etsi nihil solus facere posset, tamē
 non desinere esse Monarchicum, uti forte mox clarius patebit.
 Et ita Regem hodiernum Polonia Legatis aliquid petentibus
 respondisse nupera hyeme in factis referebatur: *Nihil se in*
istis negotiis regni sine statuum consensu decernere posse, & tamen
 Monarchicum illud regnum est. Dicemus porro si ad plures
 perveniat administratio, optimates sc. cujus duæ imprimis sunt
 species distinguendæ: vel enim omnes simul administrant, vel
 quidam inde electi. Exempla, quod omnes & soli optima-
 tes administrant (quo casu electione opus non est, sed eo ipso
 quo succedunt in familia, succedunt etiam in administratione)
 vix occurrunt, istius enim regiminis impatiens est plebs, quan-
 do adeo separari, se à patriciis videt, ut illi semper dominan-
 tur, ipsa autem semper obediat; & tolerabilior eis multo est
 status, quo quibusdam ex optimatibus defertur regimen; quia
 tunc ipsos etiam Optimates sibi assimilari, & in eodem statu
 esse videt, ut obediant cæteris non minus ac plebs. Et talis
 Aristocratia præclarum exemplū habemus in illustri Veneto-
 rum Rep. Sed & prioris Aristocratici status exempla sunt præ-
 lustria, quando alii statui est mixtus; ita enim in Anglia O-
 ptimates eo ipso quo in certo dignitatis gradu constitutos se
 vident, scil. usq; ad equites auratos, quos *Knights* vocant, jus
 sessionis ac suffragii in domo superiori Parliamenti habent.
 Eadem ratione præsens est exemplum in Imperio nostro, quo
 status imperii, eo ipso quo sunt status, votum ac sessionem ha-
 bent in comitiis, nisi aliunde exempti sint; sed is status alia ra-
 tione maxime est tolerabilis ac securus: cum enim status jam
 ante jura habeant territorialia ac superioritatis territorialis in-
 subditos, nihil durum subditis contingit exinde, quod soliad
 imperii gubernacula sedeant, qui jam ante ipsorum regimini
 præsumt. Si ipse populus retinet administrationem, eam fere
 per delegatos expedit; ubi notandum optimates hic non qua-
 tales, sed ut quemvis ex populo eligi, cum populos contineat
 & patres & plebem §. 2. *Jur. nat. l. 2. §. 24. O. I.* neque mix-
 tum

Co.

* (o) *

tum esse statum, et si utrique concurrant. 2. Administrationis in rep. duas esse species, ut & in legibus Civilibus; aliam, quam quis jure suo habet qualem & olim habebant magistratus ordinarii; aliam delegatam & mandatam, quam quis non nomine ac jure suo, sed nomine delegantis ac mandantis administrat, qualem qui habent, olim mandarii Jurisdictionis dicebantur, qui nihil proprium habent, sed omnia nomine mandantis agunt. Hi ad ipsam status administrationem plane non pertinent, sed nudi sunt administri, quorum opera ac ministerio Princeps (aut qui reip. præsunt) utitur ad remp. administrandam; uti in Gallia illi qui vocantur *Les ministrs de Petat ou de la couronne*, & ex media saepe plebe eliguntur, in communionem administrationis cum ipso Rege plane non sunt, sed solus Rex Remp. suo jure administrat, & aliorum saltem opera utitur, secus quam Parlamenta Angliæ, quæ in ipsam status communionem cum Rege admittuntur, & ad quibus latissime differunt Parlamenta Galliæ, quorum nullum cum statu est negotium, & ne quidem ut ministri status eo accedunt, tantum abest, ut potentiam & administrationem Regis ullo modo limitent; sed solum ordinata ac instituta sunt, ad privatorum causas decidendas, & justitiam inter privatos administrandam, quod nihil status publici continet; sed nec in privatis causis aliqua est Parlamenti curia, quæ cum suprema Regis concurrat auctoritate; non enim sunt parlamenta universalia, & ne quidem Parisiensis suprema curia universalem habet jurisdictionem; sed sunt tantum provincialia, cum & provinciarum suas habeant supremas curias, seu parlamenta, quæ ab illo, quod Lutetiæ est, nullatenus dependent; sed & in hac ipsa Parisiensi curia latæ sententiæ saepe rescinduntur ac corriguntur in Consilio regio *Le grand conseil* dicto, cujus & quædam sunt propriæ ac reservatæ quasi causæ, ut v. g. Beneficiorum, quæ in curia agi non possunt. 3. In statu populari, ob difficultatem administrandi, propter multitudinem, plerumque fieri solet, ut eligantur aliqui ex primoribus, vel etiam aliis Civibus, qui sint loco multitudinis, ac
popu-

populum representent; & quidem committitur his aliquando absolutum jus omnisque potestas; sed ita tamen, ut nomine populi jus illud exerceant, & hinc Consules, Dictatores, trib. pleb. tanta olim potestate instructi fuerunt, ut videantur absolutam potestatem proprio nomine ac jure habuisse, quod causam dedit errandi Polybio & aliis, ut putarint statum illum fuisse mixtum, cum tantum mere popularis fuerit, & Reip. administratio fuerit penes populum, unde ad populum saepe recursum, eique ratio reddenda fuit; Consules vero, v. gr. nudi fuere administri status, per quos populus administrationem expediebat, uti postea Impp. per Praefectos, Praesides &c. qui non minori erant Imperio ac autoritate, quam Consules, per *L. 3. offic. Proconsul. L. 4. offic. praesid.* sed imo majori in quibusdam *arg. L. un. §. 1. Off. praef. praet.* quam ante Consules, qui annuatim etiam mutabantur, nec tamen quis dicet, praefectos istos, &c. fecisse partem supremæ potestatis cum Principe. Deinde, idem patet ex modo leges ferendi, quas Coss. rogabant ad populum, ut plebiscita Tribuni ad plebem, populus autem eas constituerebat §. 3. *I. N. G.* 3. Senatum, cujus pars erant Coss. vice populi functum, expressis verbis habetur in §. 4. *I. N. G.* & administrationis Reip. ad Senatum delatæ hanc fuisse causam ait Pomp. *L. 2. §. 9. O. 7.* & Imp. *d. §. 4.* quod plebs, (nec dum populus) ob multitudinem convocari non poterant; ex necessitate ergo quidam eligendi fuere, qui loco populi congregarentur, eumque representarent. Unde 4. dicitur in §. 4. *d. sit.* quod populus, (non Senatus) omnem potestatem suam in Principem contulerit; potestas autem in Principem collata fuit suprema, illa ergo fuit apud populum, alias enim conferre eam Principi non potuisset. Cum autem id, quod collatum fuit in Principem, fuerit tantum jus administrationis, quam suo jure haberet, (nam ipsum jus publicum seu communionis, ut dictum, à populo separari non potest) sequitur & hanc fuisse apud populum; apud Coss. ergo & Senatum fuit tantum administratio delegata jure populi. 5. Nulla ratione potuisset populum totum tenere, quod

* (o) *

62. plebs jus sisset, uti L. Horatii & post Hortensia constitutum fuit: Liv. lib. 3. & 8. nisi summa simul auctoritate concessa populo, etiam in ipsos patres. Hæc quidem jussio plebis non excludebat consensum Patrum; sed cum numero suffragiorum plebs prævaleret, Patres eam infirmare non poterant, quia tantum ut pars populi spectabantur. Verum, cum jussa plebis, quæ erat major pars populi, tenerent totum populum, etiam ipsos patres, non potest dici eam, quæ apud solos patres fuit, administrationem proprio jure factam fuisse, sed jure populi, cum patres fuerint imbecillior pars populi numero suffragiorum. 6. Coss. manserunt etiam sub Imp. quo tamen tempore status fuit pure Monarchicus, juxta tenorem Legis Regiæ. & Coss. fuit tantum tunc vicaria potestas. 7. Jus provocandi erat à Coss. ad populum, & ne quidem habebant jus in caput Civis Romani L. 2. §. 16. O. 7. Hæc de simplicibus statibus.

Mixtio hinc facile dignoscitur: Potest enim communio vel uni soli committere administrationem juris sui, vel partem etiam optimatibus concedere, vel ipsa etiam in partem ejus concurrere, & mixta ita erit administratio juris istius, & mixtus ipse status, non vero administratio status; Nam status ita mixtus, seu mixtum administratus, non differt ab administratione quæ fit jure proprio, & non est administratio status, sed juris publici, cujus administrandi ratio ac modus dicitur status; ipsum autem Jus Publicum seu communionis, quod unum est ac simplex, misceri non potest: Uri & administratio illa Vicaria, quæ non fit jure proprio sed delegato, mixtionem non inducit, quia eadem est administratio quæ delegantis, cujus nomine fit l. 1. §. 1. l. 3. off. ejus cui mand. l. 16. Jurisdic. l. 3. §. 3. Admin. Tut. l. pen. off. Proc. mixtum autem esse non potest, quod ex diversis non constat; sed & agitur hic de mixtione summi in Rep. imperii, non vero potestatis delegatæ ac subordinatæ, & de mixtura status Reip. quoad summam potestatem. Et ex principis his simplicissimis & facillimis omnes etiam vexatissimas hæctenus difficultates facile solurum iri, omniaq; effecta hæctenus in Imperio nostro monstra in sumum abitura

abitura confido: Quod si enim in mixtione sit Monarchica
 quædam administratio; Status simpliciter dicitur Monarchi-
 cus, ut modo probatum; sive adjuncta sit administratio Ari-
 stocratica, sive popularis, sive utraque quia potior: & ita in
 cæteris: idq; manifestissimum sit exemplo regni Angliæ, unde
 etiam in formulis, quib; tres illæ species mixtæ enumerantur,
 semper tanquam potior præmittitur Monarchicus status, se-
 quitur Aristocraticus, & ultimo ponitur popularis. Id saltem
 notandum: minus recte status hos mixtos, & rectius composi-
 tos dici, ita ut singulæ species integræ ac distinctæ appareant,
 non mixtæ & confusæ. Hoc ipso enim differre mihi videntur
 à simplicibus istis statibus, in quibus quædam species Princi-
 patus videtur: Ita in Venetorum Rep. simplex est Aristocra-
 tia, etsi præsit Dux; is enim separatam statum non constituit ab
 optimatibus, sed ipsorum optimatum membrum est præci-
 puum: votum enim suum ipsorum votis jungit, & junctæ ita
 vota pluralitate æstimantur: nec ipse seorsim, decernendi jus
 habet, aut voto negativo aliorum decretum irritandi, sed mix-
 tum cum iis concurrat; non ergo distincti hic status, sed unus
 & simplex est. Ita in Camera Imp. Præses iudicii juncto re-
 liquis voto æqualiter cum ipsis ex numero votorum decidit.
O. C. 1459. tit. 1. vers. Und was die O. C. part. 1. tit. 13. §. Wel-
ter ordnet. In compositis autem quisq; status seorsim & vo-
 ta colligit, & secundum ea decernit, postea reliquorum con-
 sensus & auctoritas adhibetur: Ut in Anglia utrumque Parla-
 mentum separatam habet domum congregationis, & seorsim
 actus illi expediuntur, & omnium denique trium Statuum au-
 thoritas & consensus æqualiter requiritur. Hic ergo singulæ
 species integræ subsistunt, & distinctæ; & proinde non mixtus,
 sed compositus ex integris illis est status. Jam singulorum
 proportionones videamus; quamquam proportione hoc defini-
 plane non possit. Utut enim in Rege quædam ratio sit ha-
 benda personæ, non tamen tam ineunda est ratio meritorum
 ac potentæ, quam salutis Reip. Ita fœderati status Belgici

64

* (o) *

recusabat Comiti Leicestri potentissimæ Angliæ Reginæ opibus & auctoritate suffulto, regimen statuum suorum; qui tamen Superioritatē Principi Arausionensi ipsi offerebant: Conducit enim quandoq; libertati ac saluti Reip. præferre Principem minus potentem potentiore, & sapientiore eum qui tractabilior est: quod sane ex proportionem regulis non dependet, quibus id è diametro potius contrarium; cæterum, ubi in familiam certam translatum est jus Monarchicale, nullas amplius proportioni locus est; Jure enim familiæ quæsito cessat dispositio circa merita personarum, unde tamen acerrima sæpe bella inter fratres ipsos exorta memorant annales, fratre secundo ob leves quosdã defectus Primogeniti jus successione prætendente & sapius obtinente; sed jure gladii potius, quam æquitatis. In optimatum republica si comparatio instituat inter optimates & plebē, proportioni locus non est, ut dignior ex plebe præferatur optimatib9, quia his quæsitum jam jus est, quod adimi ipsis sine injuria non potest: sed inter ipsos Optimates observari proportio meritorum potest, nisi & in illis alij præ aliis juris quadam prærogativa gaudeant. Uti & imprimis inter administratos status in regno aut Rep. populari: Hic enim cum & Princeps & Populus, jus suum salvum habeant, & vero ille ob solitudinis quasi defectum, & insufficientiam; hic vero ob multitudinis excessum & confusionem rite ipsi administrationem subire non possint, neq; hic de jure sed ministro agatur, hoc salvo jure dignissimis injungi, nec nimium in eo Proportioni Platonicæ indulgeri posse facile patet. Illud autem hic latius exponi è re videtur, in statu populari, uti & in statibus mixtis, omnino æqualitatem eadem ratione requiri: ut enim ibi totus populus, ita hic omnes status de summa potestate participant. Videmus, quot tempestates sævissimas inæqualitas & diversitas nimia plebis ac Patrum excitaverit in Rep. Rom. imprimis in quatuor illis secessionibus famosis: In Sulpitio Tribuno pl. armata manu contra auctoritatem Consulium Marium ad bellum contra Mitridatem destinante: in alio

Ma-



Marium Violatum, hominem Patricium, severius in plebem concione in vectum ex saxo Tarpejo precipitare jubente: neque Ciceronis exilium post liberatam a conjuratione Catilinaria Remp. hac causa vacat. Ita varia inæqualitas orta est in eadem Rep. inter cives: alii contra legum statuta, quæ certum magistratibus tempus definiebant, prolongari sibi imperium; alii sapius conferri, ita ut decies quis eundem Tribunatum habuisse legatur; alii adeo opibus prævalere cæteris, ut integrum exercitum propriis sumptibus sustentare præsumserint; quæ res aliorum æmulationem, hæc studia & factiones, Syllanas & Marianas; & mox Pompeji & Cæsaris generavit, & huic ad Tyrannidem regia fuit via. Prospicere quidem voluerunt huic rei Romani, lege Licinia, à Licinio Tribuno lata, possessionibus civium ad certam quantitatem restrictis; sed frustra: jam enim nimium excreverat potentia imprimis Nobilium, ut despectui haberent machinationes plebis: quæ res Grachos tandem armavit, eaq; sufflavit intestinorum bellorū incendia, quæ non nisi cum Rep. extincta sunt. Hæc incommoda cum satis viderent Athenienses, omni studio æqualitatem conservare in statu suo populari conati sunt, quem in finem Ostracismum induxerunt, qui erat lex aliqua communi consensu introducta, qua ii, qui opibus; amicis, aut etiam virtute quadam bellica aut civili, aliaq; claritatis gloria multum præ cæteris pollebant aut eminebant, per decennium in exilium ire cogebantur, patria sua ejecti: sed, tunc temporis imprimis, non plane ac omni ratione damnanda. Nolim sane ullo modo legem à barbarie & tyrannica crudelitate excusare, quæ virtutem exilio multat, sed illud tantum notari velim: Tunc temporis, cum Græcorum hæresis ultimum hominis finem & summam felicitatem in gloria studio ponebat, ignotum esse non potest annales eorum legenti, quales & quam miros in iis effectus produxerit ambitio; quæ in isto gradu, ubi media adesse inveniret, non potuit non momento ebullire, ut quidvis inde metuendum fuerit. Huic ergo mederi voluit Ostracismus, non pœnam

66.

* (o) *

nam iis infligendo, sed necessitate eos adstringendo abeundi ad tempus ex civitate, ut secura esset Resp. forte etiam ut cives communi potius salutis ac patriæ, quam propriæ avaritiæ ac ambitioni litarent. Modie cum ambitio hominum minus sine dubio ambitionis habeat errore isto defæcato, crudele nimis esset ad Ostracismum protinus, maxime ob virtutis eminentiam, confugere, interim in tali statu populari, non tantum si tales homines per istam eminentiã aliquid moliri in Remp. inventi fuerint, sed & si justæ adsint ab iis metuendi rationes, posse ad idem remedium procedi non dubito; cum sine dubio satius sit, privatum incommodo aliquo, quod forte non adeo grave, affici, quam Remp. periculo exponi. Quæ unquam domus virtute, literis, prudentia, omnigenaque pro-sapitiæ ac nobilitatis laude magis claruit, quam Illustrissima Medicorum familia? quæ res, dum ipsis auctoritatem prægrandem, auctoritas dominium in Florentinos acquisivit, libertatem ac Remp. ipsis Florentinis eodem tempore abstulit. Unde Plato ad tollendam omnem inæqualitatem, & exinde nasciturã discordiam in Rep. sua in commune bona voluit conferri, & in publico poni, ut tollantur nomina divitis & pauperis, mei ac tui: quod & Canonibus visum est divino juri congruere ex auctoritate Augustini *c. 1. dist. 3.* In statuum porro inter se contemperatione Æqualitatem requiri obvium videtur, quia apud omnes est suprema potestas & τὸ κύριον Imperii. Omnibus ergo æqualis competit potestas, quia omnibus summa competit: & si aliquis ex statibus prævaleat, jam is, cui prævalet, non amplius est particeps summæ potestatis, quia est aliqua potestas in Rep. superior & prævalentior; & ita summa potestas non est penes omnes status. In quovis statu simplice v. gr. Monarchico omne jus omnisq; potestas penes Principem est, per §. 6. *Jur. nat. l. 2. §. 14. O. J. l. 1. Const. Princ.* Hoc jus omne, cum in statu mixto in gradibus extensum, ut ajunt, esse non possit apud singulos status, (repugnat enim omne jus esse penes unum

P.

* (o) *

unum statum, & tamen etiam reliquos habere summum & omne jus; & Principem v. g. solum omnia agere posse; idemque posse reliquos; si enim & reliqui possunt, jam non solus Princeps potest) erit ibi in gradibus remisissis, ita ut omnes in eodem jure concurrant: quo fiet, ut omnes quidem simul omne jus habeant, & omnia agere possint; singuli autem se solis nihil possint. Ex quo sequitur, in mixta Rep. cujusque Status jus in eo consistere, ut, licet nihil se solo ipse decernere de Rep. possit, nihil tamen etiam sine ipsius autoritate & consensu decerni in Rep. possit à reliquis; sed quicquid decernitur, etiam unius statuum deficiente consensu irritum esse; cum apud omnes demum simul, non apud singulos si summa autoritas. Ita in adductis supra formulis decretorum Curia Anglicanae semper ponuntur non tantum, *consilium & consensus sed & autoritas, Regis, Magnatum, Plebis*; Et ergo omnium aequalis est autoritas. Cum itaque posita saltem aequalitate in statibus à potiori simpliciter denominetur Monarchicus, *de quo sup. pluribus*: & vero in Imperio nostro omnia fiant necessario cum autoritate ac consensu Imperatoris, ut aequalitas ad minimum negari nequeat, miror os illius Autoris, qui & semissem Imperatori, & Monarchicam dignitatem detrahit: Istantem aequalitatem ad amissum existere in Imperio abunde quidem probari posset; sed cum id ab instituto nostro nimis fit alienum, hoc unicum monuisse hac vice sufficiat. Scilicet. Quod in omnibus Imperii Recessibus duae ex a quo sint classes, quarum subscriptio ac consignatio ad Valorem recessus & decreti separatim exiguntur, in una & quidem priore est solus Imperator adjecto sigillo Caesareo; In altera illi opposita sunt omnes reliqui ordines simul adjecto sigillo communi, & si quidem deficeret Imperatoris, aut alterius classem subscriptio ac consignatio, decretum nullius momenti foret; quod immota est argumento, ad valorem decretorum Imperii duarum harum partium auctoritatem aequaliter concurrere; & altero deficiente nihil actum esse; quod ita demonstramus. Fracta enim propositio

68.

* (o) *

sitio fuit in R. I. 1521. §. Und dieweil wir. de sumtibus in Came-
ram faciendis, cujus decisio per R. I. 1522. §. Weiter als sich
Churfürsten ꝛc. suspensa ac dilata est ad sequentis aⁿni 1523. Co-
mitia, ubi decretum ab ordinibus sine consensu Imp. factum,
arg. R. I. 1524. *in princ.* vers. *Unterhaltung Friedens und Rech-*
teis/irritum ac nullum fuit, arg. d. princ. unde nec in decreto
illo de Anno 1523. quo decidendum erat, relatum est, neque
potuit illud decerni, nisi postquam Comitii demum sequen-
tibus Anno 1524. auctoritas Imp. accessit, ubi decretum longe
alio tenore exiit. d. R. I. §. Und erstlich/ita ut nec Imp. nec Or-
dines id quod postulabant, in solidum obtinuerint, sed utrim-
que aliquid remissum sit: certissimo argumento alterutram
partem se sola & sine alterius consensu decernere nihil posse.
Et ordinum decreta fieri salva auctoritate Imperatoris, ex-
presse habetur d. R. I. 1524. *princ. verb.* bis auff unsere Bewilli-
gung beschloffen/ordinum ergo decretorum suspensa est au-
ctoritas a consensu Imp. habetur diserte R. I. 1522. §. Weiter als
sich/verb. Unser Statthalter/ Churfürsten ꝛc. etliche Mittel
und Wege auffgezeichnet/ und der einer oder mehr anzuneh-
men in unsern Bedencken stehen: Quid multis? Communis-
sima illa recessuum formula, haben wir uns mit den Ständen
und sie hinwieder sich mit uns verglichen. Item quod additur
sub finem R. I. 1500. verb. Contracts-weise (in contractibus
autem utriusque consensum ex æquo requiri, & contrahen-
tium æquale jus esse nemini ignotum est) verpflichtet und ver-
schrieben; Deniq; verba, Unser und des Reichs Churfürsten/
unser und des Reichs/Regiments/Statthalters/Camer-Vericht/ꝛc.
mutuam & æqualem potestatem, & eorum, quæ ad totum Im-
perium spectant, communionem æquabilem satis evincunt.
Sed ne id modo ab adversariis obtineamus, quod posita sal-
tem æqualitate Imperium sit Monarchicum, etiam alia ratione
evidentius id ostendemus: Ordines enim duplici ratione se
habent respectu Imperatoris; tū ut universim & collectim, ut
corpus, quod Imperium repræsentat & æqualiter negotia Im-
perii

perii cum Imperatore tractat; tum ut seorsim & ut singuli spectati; qua ratione omnes rationem subditorum habent; & Imperatorum ipsum & ab ipso Feuda sua recognoscunt. Et ita fit, ut solus Imperator simpliciter rationem superioris habeat, & reliquorum sit Caput; Reliqua omnia Imperii membra seorsim spectata etiam rationem subditorum. Neq; hic nudus est respectus, sed exinde in negotiis, quæ non totum Imperium, sed singula membra seorsim spectant, soli Imperatori competit vi superioritatis Imperialis, *arg. R. J. 1544. §. Als wir aber verb. von Oberkeit wegen/ und aus unser Käys. Macht und Vollkommenheit/ Item als Röm. Käyser/ quo referimus I. Investituram & collationem Feudorum imprimis regalium, Fahrenlehen/ ex A. B. tit. 5. R. J. 1521. tit. Röm. Käys. Maj. Regiment. §. Und behalten uns bedor/ & §. seqq. arg. 2. F. 34. 40. 52. 53. 55. &c. §. Vasalli nostri, de Pac. Constant. Capit. Ferd. II. §. Item Wir sollen und wollen auch des H. Reichs Churf. verb. Shren Lehenbrieff. An autem de iisdem Feudis regalibus etiam cognoscere solus Imp. potest; imprimis quando de eorum translatione finali agitur? Ita non nullis videtur, *per d. §. R. J. Ob auch Sachen. O. C. 2. tit. 7. §. Ob auch Sachen.* Alii consensum ordinum requirunt; qui alicubi in talibus casibus adhibitus est. Nos in re tanti præjudicii jam nihil decidimus; cæterum vulgatum tantum errorem notamus Dd. qui consensum parium Curia hic requirunt; quod omnino erroneum. Nam 1. Pares curia nunquam judicant simul cum domino, & quando ipse Dominus etiam cognoscit, uti hic: *per 2. F. 34. & 1. F. 10.* 2. Pares tantum cognoscunt, quando inter ipsum dominum & vasallum est controversia, quo casu ipsi soli sunt Judices, Dominus autem partis vicem gerit *2. F. 21. 23. & 2. F. 16, 20, 39. §. si int. & tit. 53. §. 2. fin. &c. aut saltem quando inter duos vasallus est, in minori feudo 2. F. 34. 46. hic autem de unius Feudo ipsi auferendo agitur.* 3. Quia omnium ordinum consensum requirunt illi Dd. ordines autem non sunt omnes pares curia: sed illi demum, qui ejusdem generis Feudum tenent: *per 2. F. 46. verb. Paribus curtis. 2. F. 78. verb.**

à paribus & tit. 79. verb. Pares de suo pari, non autem civitas
 vel nobilis, v. g. possunt principem dicere suum Parem. 4.
 Quando ordinum consensus hic est adhibitus, illi tanquam
 Status Imperii, qui ipsum imperium repræsentent, intervenire;
 non vero tanquam pares curiæ, qui sunt ex curia domini 2. *F. 20.*
verb. per suam curiam. Porro etsi inter Imp. & vasallum lis esset,
 non semper iidem sunt iudices, (ut alias sunt inter dominum
 & vasallum) uti iterum *Dd.* vulgo errant; sed quando Vasallus
 convenitur ab Imp. pares quidem cognoscunt *per dd. text.* sed
 ubi Imp. ab illis convenitur, ipse speciale forum habet coram
 Serenissimo Principe Palatino *ex A. B. tit. 5.* quod etiam in feu-
 dalibus est competens 1. ob textum generalem. 2. Quia privi-
 legium fori semper allegari potest, *arg. l. 5. fin. Judic. c. fin. comp.*
in 6. 3. Privilegium hoc personæ datum non causæ: in omnibus
 ergo causis obtinet. 4. Quia speciale forum derogat communi
c. 13. for. comp. forum autem hoc specialius omnino est foro com-
 muni feudali, cum hoc sit commune, illud privilegiatum Imper-
 atoris. 5. *arg. c. 7. for. comp.* ubi etiam in Feudis privilegiatum
 forum obtinet, & *in c. 6. eod.* in Feudo demum seculari comune
 forum valet. 6. Nulla hic est ratio differentię inter causas. 7. Di-
 versa hujus rei sunt præjudicia, quæ longum foret recensere;
 Cæterum priore casu, quando Vasallus convenitur ab Imp. non
 est competens, quia tunc forum rei attenditur. Hætenus de
 vulgatis erroribus. Huc referri posse videtur, quod in causis
 privatis inter ipsos ordines vertentibus Imp. cognoscat per suos
 delegatos, sc. Austregas; illi enim cognoscunt vi delegationis
 Imperatoris. *O. C. 2. r. 2. §. Darauff soll verb. in Krafft der*
Commission die wir als N. K. zc. hiemit einem jeden wollen ge-
than haben; unde etiam dicitur ibi *Käyß Commissarius*; nec
 multum absimilis videtur paribus curiæ. *arg. 2. F. 16. junct. d. r.*
 III. Eodem jure censentur jus stapularum, primariarum pre-
 cum, & alia. Omnino autem huc non pertinent feloniam seu
 vectigalia; hæc enim tanquam res totius Imperii non nisi con-
 sensu statuum importantur; uti etiam expresse cautum in plu-
 ribus Capitulationibus; scil. Caroli V. *artic. 18.* Ferdin. II. Fer-
 din.

in III. artic. 20. & moderni Imperat. Glorios. artic. 21. deni-
 que in Instrum. Pac. Osnabrug. artic. 9. §. 1. Sed valde hic vi-
 detur obstare textus R. J. 1576. §. Dadurch dann nicht allein. *verb.*
 Sondern will auch/ daß alles (male hic ab aliis legitur, will
 auch/ daß dergleichen nichts; ita enim nec connexio nec sensus
 est verborum; & nondum hic aliquid constituitur, sed juris §.
 seq. constituendi ratio redditur, sensusq; mox patebit.) [Expo-
 sitio text. R. J. 1576. §. Dadurch dann.] zu unserer Käyserl. beson-
 dern Hoheit und Reservation, (vel ut alii, reservaten) &c. ubi
 vectigalia, sc. nova, in reservatis Imp. habentur, quæ solum Imp.
 facere posse Dd. volunt: sed hic iterum communis error. Du-
 pliciter enim sensu aliquid reservari Imp. & ab eo solo fieri posse
 dicitur: vel quod ita reservatur ei, ut possit id facere solus, i. e.
 sine consensu ordinum; vel ita, ut solus id facere possit, i. e.
 non alius aut per alium. Et hoc demum sensu Reservata
 Imp. dici patet ex R. J. 1521. §. Und behalten uns. & d. text. A.
 B. 1. §. ubi Imp. reservata sibi collatione Feudorum regali-
 um reliqua etiam à Serenissimis Vicariis & aliis conferri permittit.
 Et ergo hæctenus illa sibi reservat, ut non possint ab aliis con-
 ferri, ut Feuda minora, sed à se solo; non autem hæctenus præ-
 cise, ut excludat consensum ordinum: Sunt ergo reservata Imp.
 quæ ab ipso Imp. (sive solo sive cum consensu Ordinum) sunt
 expedienda, non ab aliis loco Imp. & hoc sensu etiã vectigalia
 sunt de reservatis Imp. in d. §. Non enim possunt ab alio, quam
 ab ipso Imp. cum consensu ordinum constitui, ut ipse ait in d. §.
 Dadurch/ cujus sensus est *in vers.* Sondern/ quod non tantum
 in contumeliam Cæs. Maj. & reservationis cederet; sed & in
 contumeliam reputationis Cæs. & Electorum, utpote sine quo-
 rum consensu essent instituta; quod & in §. *prac.* exprobrave-
 rat, & horum ergo consensum ipse requirit; & ideo tantum re-
 servata dicit, quod nemo alius jus illa instituendi habet, nisi
 solus Imp. cum suis ordinibus.

Et proinde sapienter id in Imperio provisum reperitur,
 ut in universalibus Imperii negotiis, omnes quæ tangunt, o-
 mnium requiratur consensus, non tantum autoritate civili

per l. 3. quod cuj. un. nom. l. 148. R. J. l. 7. fin. C. omn. agro desert. arg. l. 27. §. 3. Rec. arb. l. 6. 39. Re jed. &c. sed & æquitate Canonica; c. 29. R. J. in 6. c. 1. c. 4. His que fi. à maj. Ab omnibus autem fieri censetur, quod publicè fit per majorem partem l. 160. §. 1. R. J. l. 19. Ad mun. l. 45. C. decur. Dixi publice: si enim & singulorum interesse privatim versetur, nullius consensus excluditur, si ejus dissensio non tendat in præjudicium publici. arg. l. 7. fin. cum 2. ll. seqq. Pat. cujusmodi sunt vectigalia; unde in iis omnium consensum exquiri cautum est Capit. novissima Art. 21. & seqq. In reliquis vero non imperii sed statuum seorsum spectatorum negotiis Imperator simpliciter rationem superioris habet, & omnino Caput est reliquorum. Ex his paucis ergo patebit, non monstruosum esse Imperii statum, ut quidam calumniantur, & intemeratam esse Imperatori Monarchicam dignitatem, contra Bodini nugas (cujus de Harmonica proportionem somnia ex sup. disputatis omnino disparent) & iniquas aliorum invectiones; quorum indignus quoq; est ingenio error ille, quo Imper. consensum ac votum iis votis contineri putant, quæ pluralitate æstimantur. Repugnat id R. I. 1512. §. Es sollen auch die Churfürsten. R. J. 1526. pr. R. J. 1542. sub fin. R. J. 1577. §. Da dann die Sachen: & ipsi text. A. B. c. 2. ubi votorum pluralitas non ad Imp. sed ad solum ordinum collegium spectat. Repugnat id d. R. J. 1524. verb. biß auf unser Bewilligung beschloffen ubi, factò jam ordinum decreto per majora, expectatur adhuc consensus Imp. Et nunquam alias necessarius foret consensus Imp. cum semper votis vinci posset; Et quid opus subscriptione, quod consenserit, si consentire per majora cogatur? Repugnat denique id hodiernæ Comitiorum formæ, qua Imp. reliquis non miscetur, quando res pluralitate votorum agitur, sed iis expeditis accedit demùm Imp. votum conclusivum & approbativum. Limn. c. 1. num. 105. ex Autore des warhaffrigen Berichts, wie es heutiges Tages auf Reichs-Versammlungen gehalten wird. Idem contingit in Angliæ Parliamentis, à quibus factum jam decretum Regni offertur, qui si probat, Gallico idiomate subscribitur; *Le Roi le veut*

le vent & in ipsa Gallia à nudis administris sapius res decernitur, & Regi probandum offertur; quod congruum videtur Reip. Rom. ubi ipse Senatus vel Coss. decretas leges ad populum ferebant his formulis: *Velitis, Jubetis, Quirites*, quod erat legem ferre seu rogare: & populus demum, respondendo *Volumus, Jubemus, sancire aut constituere legem* dicebatur. Et hoc necessarium omnino esse sup. diximus, ubi status revera est compositus, eoque distingui à simplicibus, in quibus quædam in administratione est præ eminentia. Caterum ad fallâ quorundam supposita notandum, ex dictâ æqualitate in ipsi Imperii negotiis, & contractu atque societate, uti ex privatis conventionibus, oriri partibus, si alterutra pars placitis non stet, & in casum fractæ nimis crudeliter fidei, jus adigendi aliquando ex causa partem alteram ad rationem reddendam, vñ sc. in ita conventionis publicæ, non vero vi superioritatis. Imo etiam ex jure illo communionis, quod à Rep. inseparabile esse sup. probavimus; ab Imperio ipso, quod per ordines repræsentatur, procedi aliquando potest (quanquam quo jure processum sit contra Henricum IV. ex ipsius rebellis filii catastrophæ, paternæque simili calamitate ostendisse videtur divina Nemesis,) quod & in aliis Monarchiis factum legimus. Ita in Statu Suecico Autor quidam Gallicus refert: *Statu Anno 1343. egisse cum Rege suo Magno de filio ejus Henrico succedere declarando, & in casum mortis ipsius alio ex filiis eligendo; sed. additis his verbis: Encor que nous ayons pris cette resolution, par l' affection, que nous portons au Roi, d' une volenté libre, & pour le bien de la vieu de la paix, nous n' entendens pas ne antmoins, que cela porte aucun prejudice aux coutumes de Suede, observées par le tems passé en l' election des Rois, mais bien, qu' apres la mort des sünommes l' election libre retourne & soit reprise.* Additque *Et cette protestation fut si peu vaine, qu' ils osèrent apres proceder à la deposition de ce même Roi & ses enfans: quod quidem ille Gallorum more deridens ait: Ainsi ces nations Aquilonaires se statrent de la liberté, qui leur est souven germe tres seconde de servitude & guerres civiles: quod quidem*

variis deducit exemplis. Sed & à Græcis tamen quanta olim pro libertate pugnata sint bella, & valde quidem feliciter, constat; sed sc. huic illud Axioma politicum comprobari mihi videtur: In quavis Rep. statum præsentem esse optimum; cum ei cives maxime sint assueti. Hinc Galli Regis sui splendorem & absolutam potentiam; Angli civium opulentiam & libertatem jaçant. Singulis enim ad normam regiminis, sub quo educati sunt, omnes ab ineunte ætate mores compositi, ipsaq; indoles ac genium formata videntur. Unde idem eruditus autor, ubi refert Grimmelum Sueciæ tyrannum in ipso congressu cum Russis desertum à suis, & coram ipsis captum ab hostibus & suspensum; ipsos tamen secure reverbos illico filium ipsius Tordo elegisse Regem, ait: *Qu' il s' etonne ou de leur fierte ou de leur simplicité de prendre pour Roi le fils de celui, qu' ils avoient et aité de la sorte: quod tamen non adeo mirum videbitur ei, qui Statuum potentiam non ignorat. Et ob eandem rationem damnat electionem in regnis: Que ce tablau, ait, de dissensions civiles se fasse perdre le gout, que tu pourrois avoir des royaumes electifs. C'est un grand ab reges calamites publiques dans la succession des etats, quand la mort saisit le vif.* Quicquid vero de hoc sit, illi incongruo satis provisum est in Imperio nostro, omni & absoluto eligendi jure in solidos illos Imperii Bases, de quibus *A. B. t. 2.* collato, & ad certum tempus restricto *A. B. t. 2.* Manet igitur, in Statibus mixtis, quatenus sunt mixti, æqualitatem requiri. Hæc scilicet harmoniam illam *συμμετρίαν*; hæc *εὐνομίαν* illam, seu potius *εὐνομίαν* constituit, qua, nulla parte prævalente, nulla alteram in se convertere, ac ita destruere potest. Unde Lycurgus, cujus leges autoritate Apollinis confictæ dicuntur, *c. 1. dist. 7.* in formanda Rep. Spartana, ex triplici statu composita, non magis feliciter quam exacte eam observavit; Unde cum Agefilaus Rex eorum, contra Farnabazum bellum gesturus, plenus fiducia gloriosæ victoriæ profectus esset, revocatus tamen à civitate, illico rediit; cum contra Cæsar à Senatu revocatus

catus exercitum dimittere negaverit. Et tamdiu stetit illa Respublica donec tandem prævalente populari potestate, & Ephorum autoritate introducta, ab instituta à Sapientissimo suo Legislatore æqualitate recessit. Præclara in eandem sententiam sunt verba Parutzæ, Nobilis Veneti, in suis Disc. Pol. 1. disc. vers. *Come ne' corpi nostri aruiene, che essendo di quattro Elementi composti, fin tanto, &c.*

De statu Ecclesiastico hæc solum notamus. Discernendus est in eo, & in iuribus Episcopalibus (*vid. c. 16, c. 1. & passim off. Jud.*) 1. Status externus & civilis, quo Ecclesia ordinatur ad finem & vitam civilem: qui proinde est pars status Politici, unde, quæ de illo dicta, & hic obtinent: eoque pertinent quæ ex L. *Jurisdictionis* & ex L. *Diœcesana* competunt. c. 13. off. Jud. c. 18. X. q. 1. Nec obstat, text. quibus illa solis Episcopis rite electis &c. tribuuntur c. 14. c. fin. XVI. q. 1. tot. dist. 61. & 96. c. 31. Dec. &c. Nam transactione Passav. & Pacif. Ofn. Statibus illa concessa sunt. Cathedralici autem seu Synodatici exactio jure quidem sit Diœceseos, sed sub illa saltem qualitate à nostris non exercetur. 2. Internus ac Spiritualis; quo spectant quæ sunt *Ordinis* & *Ministerii*, & à personis ad id aptis & ordinatis expediuntur. Estque hic æqualitas, & eo refero, quando Servator regimen omne prohibet: hujus enim Status est ministerium. (*Sensus è olim quidem dist. 96.*) Probatur id ex c. 5. dist. 96. cujus sensus est; non quod in Ecclesia quædam Episcopalis potestas Politica præsidere non debeat, sed quod non debeat in ipso ministerio & statu intrinseco. Damnat enim schismata & studia in religione, quibus alii aliis tanquam capiti & Autori suo, v. g. *Apollini*, adhærebant; alii per baptismum appropriabantur; *add. c. 24. dist. 93. c. 1. §. Presbyter dist. 21.* Hinc deduco hæc satis dubia: Ad status vi jurium Ep. spectant 1. vocatio ministrorum, *arg. c. 1. 2. dist. 67. c. 1. §. ad Episc. dist. 25.* 2. Djudicatio causarum Matrim. *arg. c. 18. Off. Jud. verb. Exam. caus. & dec.* (Si autem hæc inter ipsos status vertuntur, ad Austregas) sunt enim hi actus non ministri, sed prior L. Diœc. altera Jurisdictionis. 3. Decimarum & Canon

nici assis distributio, non autem perceptio, *ut falso statuum Dd.* Illam enim ordinis esse prob. l. quia Canonica portio & reliquis est communis ordinibus. 2. *Hebr. c. 9.* ubi profunde & solide ordinis Melchisedecici à Levitico differentiam simul & præminentiam inde Apost. probat, quod hic illi decimas dederit in lumbis Abrahami, quas tantum ordini dat non ordo, ut sacerdotibus Laici. *c. 6. XVI. qv. 7.* Aut minor ordo superiori. *c. 1. c. 4. Decim.* Reliqua imprimis quæ de justitia correctoria restant, alii loco sunt reservanda.

CORROLARIA.

I.

Nulla datur in jure Antinomia. *Vulgo tamen solide nec leges omnes conciliantur; ut l. pen. Si ex nox. caus. cum l. 1. Pœn. l. 14. R. C. cum l. 9. §. 1. SC. Mac. L. 3. pr. Ut poss. cum l. 3. §. 5. Adq. poss. (de qua diximus in Disp. nostra de Mom. poss. & lite vindic.) &c. Nec casus enucleantur; ut l. 9. Neg. gest. (ubi dicimus Pomp. non corrigifed explicari à Scæv. cont. Dd. omnes) l. 9. §. 4. Publ. act. (quam misere corrumpit. A. Fab. nec Bach. restituit. 2. action. th. 22.) &c. Nec rationes legum vera redduntur; ut in l. 15. Jud. l. 2. Qui & à quib. l. 18. R. V. &c. Nec reddita recte explicantur; ut in l. 95. §. 6. 7. Solut. l. 60. Cond. ind. &c.*


2. *Salva lectione Florent. leges explicari commode possunt & debent. Nec hoc vulgo fit: ut in l. 7. pr. Cap. min.)quam ænigmaticam ait Wiis.)l. 14. §. 7. Relig. (quo nullum mendum acutius visum male ait Vinn. l. 34. §. 4. Jurej. &c.*

3. *Coronidis loco sit hoc Paradoxon. Computatio graduum Canonica eadem est cum civili, nec ulla ratione differunt. Unde false sunt Dd. regule: Duos gradus jure Can; pro uno computari; & tantum personas inter sed stare, quantum remotior à communi stipite.*

F I N I S.







ULB Halle

3

002 063 00X




s. b.

VD17







B.I.G.

Farbkarte #13

inches
Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

JURIDICA,

ONIBUS,

Gratia,
Concesione
ANTIQUISSIMA ACA-
CTORUM ORDINIS,

DE
COCCEJO,
D.

M CensVra

CUS LINDE,

r. H. L. Q. S.

RGÆ,
i, Acad. Typogr.
571.

24. 14
1671/1